# DE
# DRACONTII POETÆ
# LINGUA

DE

# DRACONTII POETÆ LINGUA

## THESIM

Proponebat Facultati Litterarum in Universitate Pictaviensi

**Hubertus MAILFAIT**

EDEBAT SOCIETAS GALLICA LIBRARIA

ANTEA SOCIETAS LECÈNE, OUDIN, ETC.

PARISIIS

15, VIA DICTA DE CLUNY, 15

—

1902

MAGISTRIS MEIS

J.-A. HILD

FACULTATIS LITTERARUM IN UNIVERSITATE PICTAVIENSI DECANO

ET

ÆM. ERNAULT

IN EADEM FACULTATE PROFESSORI

*Ut quam gratissimus erga*
*utrumque cognoscar.*

H. M.

# INDEX RERUM

# LIBRORUM CATALOGUS

## I. — DRACONTII OPERA

A. — **Carmina profana** (ed. Baehrens, in *Bibl. Teubn.* Poet. lat. Minor. t. V. Lipsiæ, 1883, pp. 126-261).

I et II. — Hylas, cum præfatione (pp. 128-134).

III et IV. — Verba Herculis cum videret Hydræ serpentis capita pullare post cædes, cum præfatione (pp. 135-137).

V. — Controversia de statua viri fortis (pp. 138-150).

VI. — Epithalamium in fratribus dictum (pp. 150-154).

VII. — Epithalamium Joannis et Vitulæ (pp. 154-160).

VIII. — De Raptu Helenæ (pp. 160-183).

IX. — Deliberativa Achillis an corpus Hectoris vendat (pp. 183-192).

X. — Medea (pp. 192-214).

XI. — De Mensibus (pp. 214-215).

XII. — De Origine Rosarum (pp. 215-216).

XIII. — De Rosis (p. 216).

XIV. — De Perseo et Medusa (p. 217).

XV. — Orestis Tragœdia (pp. 218-261).

B. — **Carmina Sacra** (ed. Arevalo, in *Patrol. lat.* Migne, t. LX, col. 595-932).

I. — Carmen de Laudibus Dei (col. 679-901). — Hic titulus, non « Carmen de Deo » huic carmini est tribuendus, ex disputatione infra notata W. Meyer, a quo accepi complures lectiones ex Dracontii centonibus quos Berolini invenit. Insuper, in Appendice, effero novos Dracontii versus ad *Laudes Dei* pertinentes, quos ex his centonibus singulari acumine deprompsit W. Meyer.

II. — Satisfactio ad Gunthamundum Vandalorum regem (col. 901-932).

## II. — INDEX BIBLIOGRAPHICUS


A

*Appendix ad opera ab Angelo Mai edita*, Romæ, 1871 (edit. *Raptus Helenæ* et *Orestis Tragœdiæ*).

*Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik*..... herausgegeben von Eduard Wölfflin, Lipsiæ, 1884 et seq. (XI volumina jam in lucem edita sunt).

Arevalo, Dracontii Carmina, ex Mns. Vatican. duplo auctiora iis quæ adhuc prodierunt, Romæ, 1791, in-4° (edit. *Laud. Dei* et *Satisfact.*).

B

Bæhr, Geschichte der rœmischen Literatur, Carlsruhe, 1836.

Bæhrens, Dracontii Carmina profana, *inter* Poetas latinos minores t. V, Lipsiæ, 1883 (edit. *Minorum Carminum* et *Orestis Tragœdiæ*).

Bæhrens, Cf. *Rheinisches Museum*, t. XXVI, pp. 493-494 ; t. XXXIII, pp. 313-316.

Bæhrens, Cf. Fleckeisen, *Neue Jahrbücher*... 1872, pp. 636-638 ; 1873, pp. 265-271 ; pp. 851-852.

C. Barth, Adversariorum Commentariorum libri LX, Francofurti, 1624.

B. Barwinski, Quæstiones ad Dracontium et Orestis Tragœdiam pertinentes : Quæstio I, *de Genere dicendi*, Gottingæ, 1887 ; — Quæstio II, *de Rerum mythicarum tractatione*, Deutsch-Krone, 1888 ; — Quæstio III, *de Rationibus prosodiacis et metricis*, Deutsch-Krone, 1890.

*Bibliotheca magna veterum Patrum*, Coloniæ Agrippinæ, 1618, in-fol. t. VI (edit. *Laud. Dei*, ab Eugenio emendat. sine *Satisfactione*).

*Bibliotheca maxima veterum Patrum et antiquorum ecclesiasticorum scriptorum*, Lugduni, 1677, in-fol. t. IX (edit. *Laud. Dei*, ab Eugenio emendat, cum *Satisfactione* sub titulo libri II).

Bigne (Margar. de la), Magna Bibliotheca veterum Patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, Parisiis, 1589, in-fol. (edit. *Laud. Dei*, ab Eugenio emendat. sine *Satisfactione*).

G. Boissier, l'Afrique Romaine, Paris, Hachette, 1895, in-18.

G. Boissière. Esquisse d'une histoire de la conquête et de l'administration romaine dans le Nord de l'Afrique, Paris, Hachette, 1878, in-18.

Bücheler, Cf. *Rheinisches Museum*, t. XXVII, p. 477 ; t. XXVIII, pp. 348-350 ; t. XXIX, pp. 362-363.

## C

CARPZOV, Dracontii presbyteri Hispani Carmen epicum ab Eugenio episcopo Toletano emendatum, Helmstadii, 1794, in-4° (cum *Satisfactione* sub titulo libri II).

CEILIER (Dom), Histoire générale des auteurs ecclésiastiques, t. XV, Paris, 1729-1763.

R. S. CONWAY, The Singular use of nos. — Transactions of the Cambridge Philological Society, vol. V, pars I, 1899, pp. 1-79.

CORIO, Storia di Milano, Venetiæ, 1565.

*Corpus Inscriptionum latinarum*, t. VI, VIII, IX.

CRUSIUS, Probabilia critica in quibus veteres græci et latini scriptores emendantur et declarantur, Lipsiæ, 1753, pp. 271-279.

## D

DUHN (Fr. de), Dracontii carmina minora plurima inedita ex codice Neapolitano, Lipsiæ, 1873, in-8° (edit. *Carmin. Minor.* cum *Satisfactione*).

DUPIN, Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques, Paris, 1698.

## E

EBERT, Histoire de la Littérature du moyen âge, traduction Aymeric et Condamin, Paris, Leroux, 1883, t. I.

ELLIS, Cf. *Journal of Philology*.

ENGELMANN, Cf. Preuss.

ENNODIUS, Opera, in Patrol. latin. Migne, t. LXIII, col. 288 sqq.

ERNAULT, de Virgilio Marone, grammatico Tolosano, Paris, Vieweg, 1886, in-8°.

S. EUGENIUS TOLETANUS, Dracontii Hexaemeron emendatum (Patrol. Migne, t. LXXXVII).

## F

FABRICIUS, Poetarum veterum ecclesiasticorum opera christiana et operum reliquiæ atque fragmenta, Basileæ, 1564, in-4° (edit. *Laud. Dei*, ab Eugenio emendat. sine *Satisfactione*).

FABRICIUS, Bibliotheca latina mediæ et infimæ ætatis, Patavii, 1754.

FICHET, Chorus poetarum classicorum duplex, sacrorum et profanorum, Lugduni, 1616, in-4°, pars II (edit. *Laud. Dei*, ab Eugenio emendat. sine *Satisfactione*).

FLECKEISEN, Neue Jahrbücher für classische Philologie und Pædago-

gik, Lipsiæ, 1867, pp. 861-870 ; 1872, pp. 636-638 ; 1873, pp. 265-271 ; pp. 851-852 ; 1879, pp. 475-479.

FUSS, Dissertatio versuum homæoteleutorum, sive consonantiæ in poesi neo-latina usum commendans, Leodii, 1828, in-8°.

G

GALLAND, Bibliotheca veterum Patrum antiquorumque scriptorum ecclesiasticorum græco-latina, Venetiis, 1773 et 1788, t. IX, in-fol. (edit. *Laud. Dei*, ab Eugenio emendat. cum *Satisfactione* sub titulo libri II).

GAMBER (l'abbé Stan.), le Livre de la Genèse dans la poésie latine au ve siècle. Paris, Fontemoing, 1899, in-8°.

C. E. GLÆSER, Carminis de Deo quod Dracontius scripsit lib. III ex codice Rhedigerano emendatus, Programm. des Kgl. Friedrichs-Gymnasiums, Vratislaviæ, 1843 ; — lib. II, Programm. des Kgl. Friedrichs-Gymnas. 1847.

GOELZER, Etude lexicographique et grammaticale de la Latinité de S. Jérôme, Paris, Hachette, 1884, in-8°.

GOELZER, Grammaticæ in Sulpicium Severum observationes potissimum ad vulgarem latinum sermonem pertinentes, Parisiis, Hachette, 1883, in-8°.

H

HAGEN, Cf. *Philologus*.

HAVET, Métrique grecque et latine (Louis Duvau), Paris, Delagrave, 1888, in-12.

HILD, Choix de Lettres de Cicéron, Paris, Colin, 1895, in-12.

HUREZ (A. F.), Caii Cœlii Sedulii, Belisarii.... Lactantii et Dracontii opera, Cameraci, 1826, in-8° (edit. *Laud. Dei* et *Satisfactionis*).

I

S. ILDEFONSUS TOLETANUS, de Scriptoribus ecclesiasticis (Patr. Migne. t. XCVI).

S. ISIDORUS, De Scriptoribus ecclesiasticis (Patrol. Migne, t. LXXXIII).

J

*Journal of Philology*, Cambridge, 1874, t. V, pp. 252-261.

L

LOEWE (G.), Acta Societatis philologæ Lipsiensis, t. II, fascic. II, 1874, pp. 483-484.

LORENZANA (Fr. de), SS. Patrum Toletanorum quotquot exstant opera, Matriti, 1872, in-fol. t. I (edit. *Laud. Dei* ab Eugenio emendat. cum *Satisfactione* sub titulo libri II).

## M

J. MÆHLY, Orestis Tragœdia, Lipsiæ, 1866.

ANG. MAI, Nova Patrum Bibliotheca, Romæ, 1852, in-4°, t. I, pars II, p. 162.

MANITIUS, Geschichte der christlich-lateinischen Poesie bis zur Mitte des 8 Jahrhunderts, Stuttgart, 1891, in-8°.

W. MEYER, Die Berliner Centones der Laudes Dei des Dracontius, Sitzunsberichte der Königl. preuss. Akad. der Wiss. zu Berlin, 1890, pp. 257-296.

MIGNE, Patrologiæ cursus completus, Parisiis, 1847, in-4°, t. LX (edit. *Laud. Dei* et *Satisfactionis* cum Prolegomen. et Notis Arevalo).

MIGNE, Patrologiæ cursus completus, t. LXIII, LXXX, LXXXIII, LXXXVII, XCVI.

P. MONCEAUX, Les Africains, Etude sur la littérature latine d'Afrique, Paris, Hachette, 1874, in-18.

P. MONCEAUX, Le latin vulgaire, *Revue des Deux-Mondes*, 15 juillet 1891.

MORCELLI, Africa christiana, Brixiæ, 1817.

G. MOREL, Opera Cl. Marii Victoris, Parisiis, 1650, in-8° (edit. *Laud. Dei* ab Eugen. emendat. sine *Satisfact.*).

C. M. MULLER, Orestis Tragœdia, Rudolstadii, 1858-1859.

LUC. MULLER, de Re metrica poetarum latinorum, Petropoli et Lipsiæ, 1894, in-8°.

## N

FR. NEUE-WAGENER, Formenlehre der lateinischen Sprache, Berolini, in-8°. [Ad duas editiones remittitur : a) 2 vol. in-8°, 1875-1877 ; b) 3 vol. in-8°, 1892; ad hanc remittitur quoties non notatur editio].

NICOLAUS (Antonius), Pseudo-Maximi Chronicon (Patrol. Migne, t. LXXX, col. 626).

## P

PEIPER (R.), Orestis Tragœdia, Vratislaviæ, 1875.

*Philologus*, Gottingæ, 1868, t. XXVII, pp. 157-168.

PITRA, Analecta sacra et classica, Parisiis, 1888, t. V.

PLESSIS (F.), Métrique grecque et latine. Paris, Klincksieck, 1889.

PREUSSS (E.), Bibliotheca scriptorum classicorum, herausgegeben von Wilhelm Engelmann, achte Auflage, umfassend die Literatur von 1700 bis 1878, neu bearbeitet, 1880-1882.

## R

*Rheinisches Museum für Philologie*, Frankfurt am Main, t. XXVI, pp. 493-494 ; t. XXVII, p. 477 ; t. XXVIII, pp. 348-350; pp. 461-472 ; t. XXIX , pp. 202-203 ; pp. 362-363 ; t. XXX , p. 320 ; t. XXXII, pp. 319-320 ; t. XXXIII, pp. 313-316.

Ribbeck, Cf. *Rheinisches Museum*, t. XXVIII, pp. 461-472.

Riemann (O.), Syntaxe latine, Paris, Klincksieck, 1890.

Riese, Cf. *Rheinisches Museum*, t. XXXII.

Rivin (Andr.), Dracontii Hispani libellorum juga, quorum prior de opere sex dierum... alter vero posterior elegiaca postfatio quasi quædam est .. Lipsiæ, 1651, in-8°.

Rossberg (Conr.), In Dracontii carmina minora et Orestis quæ vocatur Tragœdiam observationes criticæ, Stadæ, 1878.

Rossberg (Conr.), De Dracontio et Orestis quæ vocatur tragœdiæ auctore, eorumdem poetarum Vergilii, Ovidii, Lucani, Statii, Claudiani imitatoribus, Nordæ, 1880.

Rossberg (Conr.), Materialien zu einem Commentar über die Orestis Tragœdia des Dracontius, Hildesheim (erste Hälfte, 1888; Schluss, 1889).

Rossberg (Conr.), Dracontiana, Lipsiæ, 1891.

Rossberg (Conr.), Cf. Fleckeisen, *Neue Jahrbücher*, 1879, pp. 475-479.

Rossberg (Conr.), Complures notæ in *Archiv für lat. Lexikogr. und Grammat.* passim.

Rothmaler, Orestis Tragœdia emendatur, Nordhausen, 1865.

Rothmaler, Cf. Fleckeisen, *Neue Jahrbücher*, 1867, pp. 861-870.

## S

Schwab (L.), De locis aliquot Orestis Tragœdiæ, Dorpati Livinorum, 1867.

Schenkl (C.), Orestis Tragœdia, Pragæ, 1867.

Schenkl (C.), Cf. *Zeitschrift für die...* 1873.

Schmidt, Cf. *Rheinisches Museum*, t. XXIX, pp. 202-203.

Sirmond, Beati Eugenii episcopi Toletani opuscula, quibus inserti sunt Dracontii libelli duo, ab Eugenio eodem olim recogniti, Parisiis, 1619, in-8°.

Smith (W.) and Wace (H.), A Dictionary of christian Biography (art. Dracontius), London, 1877.

## T

Teuffel, Cf. *Rheinisches Museum*, t. XXX.

V

VASÆUS (Joannes), Chronicon rerum mirabilium Hispaniæ, ab anno 143 post diluvium ad 1020 post Christum, Salmanticæ, 1552, in-fol.

W

WEITZ (J.), Dracontii Toletani Hispani Hexaemeron, seu de Opere sex dierum et creatione mundi liber singularis, Francofurti, 1610, in-18.

WESTHOFF, Quæstiones grammaticæ ad Dracontii carmina minora et Orestis Tragœdiam spectantes, Monasterii, 1883.

WOELFFLIN, *Archiv für lateinische Lexik. und Gramm...* passim.

Z

*Zeitschrift für die Osterreichischen Gymnasien,* Wien, 1873, pp. 510-522.

# PRÆFATIO

## DE VITA ET OPERIBUS DRACONTII

De Blossio Æmilio **Dracontio** poeta pauca nobis tradita sunt. Veteres scriptores eum fuisse hispanum et dignitate presbyterum falso dictitarunt (1). Constat enim eum Carthaginiensem, ex hac quinti carminis minoris

(1) « Vulgo dicitur Dracontius gente hispanus et dignitate presbyter, sed nullo idoneo teste. Nihil enim hujusmodi habent veteres, non Isidorus Hispalensis..... non Eugenius Toletanus, qui *Dracontii cujusdam* libellos tantum nominat ; non Ildefonsus, itidem Toletanus ; non denique Honorius Augustodunensis Isidorum exscribens..... Ceterum poetam nostrum fuisse hispanum existimarim equidem, tum quia eum celebrant tres scriptores hispani, tum etiam quia ejus carmina Hispaniarum regis Chindasvinthi jussu Eugenius Toletanus emaculanda et expolienda suscepit, tum vero maxime quia illustrium virorum qui res sacras carmine cecinere, Juvenci, Prudentii, Merobaudis, aliorum ferax antea exstiterat natio hispana, ut propterea æmulatus suum Hexaemeron panxerit quoque Dracontius. » (*Bibl. veterum antiquorumque scriptorum ecclesiasticorum græco-latina*, cura et studio Andreæ Gallandii, t. IX, p. XL.) Ita etiam Fabricius (*Bibl. latin mediæ et infimæ ætatis*) ; item Joannes Vasæus, in *Chronico*, ad annum 651, et multi alii. Nec minus erraverunt de tempore quo vixerit Dracontius : Nicolaus Antonius (*Patrol. lat. Mign.*, t. LXXX, col. 626) scribit, in *Pseudo-Maximi Chronico*, ad annum 600 : « Dracontius poeta Complutensis floret. » Et, ad annum 603 : « Dracontius poeta Cæsaraugustæ moritur. » Immo alii eum ad annum 800 relegaverunt (Cf. *Patrol.*

subscriptione (1) : « Explicit Controversia statuæ viri fortis, quam dixit in Gurgilianis thermis Blossius Emilius Dracontius, vir clarissimus et togatus fori proconsulis almæ Carthaginis apud proconsulem Pacidegium. »

Haud humili loco natus erat; vocatur enim vir clarissimus et togatus (2) ; immo Dracontianam familiam in administranda Africana provincia ad summos honores pervenisse patet (3). Tandem non fuit presbyter, sed causidicus (4), qui maximis ornatus est fortunis (5), et multos suscepit pueros (6).

Quo vero tempore natus sit, mihi quamvis diligenter perspicienti non satis apparet. Non enim concludi potest, ex jam allata Carminis quinti subscriptione, ubi legitur hoc carmen *Pacidegio proconsule* recitatum, eum jam vigere ante Carthaginem a Vandalis occupatam (11 octobr.

*Mign.* t LXXXVII, col. 369). De Dracontio tandem errant veteres scriptores, cum, sine ulla minima causa, affirmant Dracontium, e carcere emissum, Romam venisse ubi in Foro Trajano ejus simulacrum esset factum. Arevalo hanc fabulam plurimis verbis persequitur (*Patr. Mign.* t. LX, col. 664-665). Cf. Gamber, *Le Livre de la Genèse,* p. 23, n. 1.

(1) Edit. Baehrens, p. 150 in nota.

(2) Insuper, cum carcere premeretur, de se ipse dicebat :
« Ille ego qui quondam retinebam jura togati. »
(Cf. in *Append.* v. 605 [21].)

(3) Cf. Morcelli, *Africa christiana,* t. II, ad annum 364, p. 270 ; « Hoc ipso anno, lex Carthagine accepta (est) VIII Calend. Octobres, quæ missa fuit ad Dracontium vicarium... », et ad annum 365, p. 271 : « Dracontium hoc item anno vicaria Africæ præfectura fungentem multæ ad eum datæ leges demonstrant » Cf. *Corpus Inscript. latin.* t. VIII, pars Iª, nº 7014 ; pars IIª, nº 10609. — Cf. G. Boissier, *l'Afrique Romaine,* p. 261. — G. Boissière, *Esquisse d'une histoire de la conquête et de l'administration romaine dans le nord de l'Afrique,* p. 351.

(4) Cf. Barwinski, *Quæstiones ad Dracontium...* Quæstio I, p. 53.

(5) Cf. *Laud. Dei,* III, 589.

(6) *Ibidem,* 675.

439); quippe verisimile est Vandalos, pro Barbarorum more, magistratibus romanis usos esse, nec quicquam in modo administrandæ Africæ mutavisse (1). Incredibile tamen videtur Dracontium nondum e pueris excessisse antequam Vandali Carthaginem ceperint. Quomodo enim, Carthagine a Genserico capta civibusque aut fugatis aut de possessione dejectis, scribere potuisset, Carthaginem ipsam describens :

« Et tamen hæc renovata micat quibus occidit arvis ;
« Hæc igitur recidiva viget, post busta resurgens
« Phœnicis in morem. Virtus clementia Patrum :
« Tu testis, Carthago, manes invicta valensque (2)? »

Hos versus scribebat ante Barbarorum impetum, cum adhuc floreret Carthago, atque etiam totius imperii romani splendidissima civitas haberetur. Mihi igitur videtur Dracontius in lucem editus ad annum 420, ut circiter viginti annos natus sit cum publicis calamitatibus Carthaginienses in desperationem adducti sint, atque armorum strepitus cladesque patriæ Musam elinguem aliquamdiu reddiderint.

Litteras, et præsertim latinam linguam a Feliciano grammatico edoctus est, cui duo ex poematis quæ condidit dicavit (3). Sed in latinorum poetarum studium præcipue

(1) « On sait que Genseric, maître bientôt de tout le nord de l'Afrique, et ayant établi sa capitale à Carthage, c'est-à-dire au foyer même de la civilisation romaine, prit de sages mesures pour le maintien de l'ordre et de la paix dans la vaste contrée qu'il venait d'arracher à l'empire, et conserva soigneusement l'organisation politique qu'il y trouva instituée, et dont son bon sens barbare admirait le savant fonctionnement. » G. Boissière, *op. cit.* p. 347.

(2) *Carm. Min.* v, 114-117.

(3) Cf. edit. Baehrens, pp. 128 et 135.

incubuit, ut patet ex innumeris versibus aut versuum particulis quas ab eis mutuatus est et in sua opera inseruit, inter quos primas tenet Vergilius, deinde Ovidius, Lucanus, Statius, Claudianus et Seneca (1). Interea non labori parcebat ut ceteros scriptores coleret, atque, ut refert S. Hieronymus (2), « Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatem Frontonis et lenitatem Plinii » pernosceret. Itaque simul rhetoricæ studebat, et operam controversiis dabat quæ tunc apud scholasticos in magno honore erant, et quarum materiam in prioribus carminibus evolvendam suscepit (3). Qua via ad forum accessit, et causas simul ac Musas tam æquo amore excoluit ut se ipse vocare posset « exiguum inter jura poetam » (4).

Sed, Carthagine a Vandalis occupata (439), subito torpuerunt leges et forum tacuit. Qua mente tantam rerum perturbationem acceperit Noster, non est facile dijudicare. Conjectura vero probabile est eum ægerrime tulisse Barbarorum dicionem. Quis enim ea tempestate Carthagine

(1) Cf. Rossberg, *de Dracontio et Orestis quæ vocitur*..... — Barwinski, *Quæstiones ad Dracontium*..... Quæst. I. — Rossberg, *Materialien*... — Arevalo (edit. Migne) in notis, etc...

(2) Epist. IV ad Rusticum.

(3) Cujusmodi essent tales controversiæ si scire velis, Cf. Ennodii opera, ubi quasdam dictiones invenies quæ cum compluribus Dracontii carminibus comparari possint, v. g. Dict. 25, Verba Thetidis cum Achillem viderit extinctum; 26, Verba Menelai cum Trojam videret exustam; 27, Verba Junonis cum Antheum videret parem Herculis viribus exstitisse; 28, Verba Didonis cum abeuntem videret Æneam, comparari possunt cum Dracontii Carm. min. IV, Verba Herculis cum videret Hydræ serpentis capita pullare post cædes; et IX, Deliberativa Achillis an corpus Hectoris vendat. — Dict. 18, In tyrannum qui præmii nomine parricidæ statuam inter viros fortes dedit, conferri potest cum Dracontii Carm. v, Controversia de statua viri fortis.

(4) Cf. *Carm. Min.* VII, 123.

natus, idemque Romanorum scriptorum operibus ab incunabulis imbutus, qui eum docuerant et Ciceronis philosophiam perfectamque orationem, et exquisitam Vergilii humanitatem, et rariorem plane emuncti Ovidii artem, et Lucani grandiloquentiam, denique quicquid boni, quicquid perfecti unquam, Græcis excerptis, conceperit humanum ingenium, quis æquo animo tolerare potuisset Barbaros, id est, terrarum extremos, omnis libertatis et juris raptores, liberalium morum et doctrinarum oppugnatores, immo vix homines qui per orbem incendia ruinasque sparsissent et sanguinem fudissent, carissimorum dominorum partes suscipere, atque civitatem immani servitute oppressam tenere? Itaque terrore primum dejecti Pænorum animi, sed paulatim erecti, sententiam aperire atque Barbarorum potestati adversari cœperunt.

Non Genserico operæ fuit imperium ab his insidiis introrsus munire, quippe cui per totam vitam sine ulla intermissione dimicandum fuerit, ut, Carthagine devicta, adversus Theodosium juniorem arma tulerit, periculumque ab eo allatum depulerit (1), incursiones in Siciliam et in Italiam fecerit, Romamque ceperit et vastaverit, reliquam Africam subegerit, ac tandem, fœdere icto quo Zeno, Constantinopolitanus imperator, omnes regiones armis partas ei concederet, paulo post undique gloria circumfluens, supremum diem obierit. Hunericus autem qui major natu patri Genserico successit, omnes qui sive

(1) Mille enim et centum naves in Africam miserat Theodosius, ducibus Areobindo, Innobindo, Asyla, Arinthæo et Germano. Quos Gensericus cunctando elusit, dum Attilam in orientem impellebat. Tumultu Hunnorum progredientium perculsus, Theodosius statim pacem cum Genserico composuit.

religionis sive litterarum (1) et rerum civilium causa Vandalis repugnabant, omni studio atque ope lacessivit.

Interim Dracontius, prospero fortunæ flatu usus, plurimis servis et clientibus stipatus, amplis divitiis fruebatur atque magnam auctoritatem Carthagine obtinuerat. Sed molestissime Vandalorum jugum ferens, animo alieno in Barbaros carmen scripserat quo virtutes Theodosii Junioris vel cujusdam alius imperatoris canebat. Quapropter captus, ab Hunerico aut saltem ab Gunthamundo, qui post Hunericum regnum occupavit, in vincula conjectus est, ubi diuturnas ac graves culpæ pœnas dedit. Ipse haud semel versibus narravit et culpam et pœnam. Primum breviter fatetur « carmina sibi dedisse clades (2) »; alias pluribus verbis rem explicat :

« Heu ! mea quippe mihi vulnera lingua dedit (3). »
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
« Culpa mihi fuerat dominos reticere modestos,
« Ignotumque mihi scribere nec dominum (4). »

Addit insuper se gravius vulnus accepisse ex eo quod obtrectator quidam in ejus invidiam regem vocavisset :

« Non male peccavi, nec rex iratus inique est ;
« Sed mala mens hominis, quæ detulit ore maligno,
« Et male suggessit tunc, et mea facta gravavit (5). »

(1) In *Anthologia latina* (Riese, n° 285) invenitur carmen quo deridetur Vandalorum lingua. Profecto ea tempestate hujus generis opera in lucem sæpenumero edita sunt.

(2) *Carm. Min.* VII, 70.

(3) *Satisf.* 44. Cf. etiam in *Append.* versum $605^{23}$.

(4) *Satisf.* 93-94.

(5) *Carm. Min.* VII, 127-129.

Itaque « tempore longo » (1) concursu omnium molestiarum labefactatus atque convulsus est :

. . . . . . . . . gravor undique pressus
« Vincla ligant ; tormenta domant ; consumit egestas ;
« Ludibrium generis, dolor omnibus, atque inimicus
« Factus, et exutus magna de parte bonorum,
« Crinibus intonsus, pannis squalentibus usus ;
« Notus et ignotus desunt ; abiere parentes,
« Me quibus impendi ; mox discessere (2) propinqui ;
« Vel quicumque fuit subito discessit amicus.
« Agmina servorum fugiunt ; tempsere clientes,
« Nec doluere meam sub tanta clade ruinam.
« Irascente Deo solatia cuncta negantur (3). »

Nec tantum se ipse, sed nec suos a peste vindicare potuit ; cui erat « numerosa propago (4) » a qua etiam graves pœnas repetiit tyrannus :

« Sontes peccantes tantum sua culpa fatigat ;
« Ecce etiam insontes noxia pœna petit.
« Si ipse ego peccavi, quænam est, rogo, culpa meorum
« Quos simul exagitat frigus inopsque fames (5) ? »

Dum duro carcere ita premebatur Dracontius, complura poemata composuit, inter quæ duo præcipue notanda, tres enim libri *Laudum Dei*, et Elegia quæ inscribitur « *Satisfactio ad Gunthamundum regem Vandalorum* ». Quibus operibus cantata palinodia, magna animi demissione Gunthamundum obtestabatur ut, excusatione accepta, doloribus tantis finem imponeret, atque custodia liberaret.

(1) *Satisf.* 120.
(2) Discessere, ex *Centon. Berolin.*
(3) *Laud. Dei*, III, 581-591 ; Cf. *Carm. Min.* VII, 118-126. — Cf. n *Append.* v. 605 18-19.
(4) *Laud. Dei*, III, 675 ; *Satisf.* 42.
(5) *Satisf.* 281-284.

Quas plerumque ferunt irritas fuisse Dracontii preces, eumque in vinculis vita functum fuisse. Contra mihi videtur Satisfactionem id quod voluerit consecutam esse, atque Dracontium, deprecantibus fidis amicis, in libertatem fuisse restitutum. Leguntur enim in priore Epithalamio nonnulli versus quibus pro vita servata facultatibusque redditis grates amicis refert :

« Quorum umbone tegor, vel quorum munere vivo ;
« Post varios casus, post tot discrimina vitæ,
« Porrexere piam placido protegmine dextram,
« Et, quod magis erat, læsi tribuere salutem
« Fortunamque mihi reducem pietate novarunt (1). »

Sed tunc ætate jam provectus erat Dracontius, et, mea quidem sententia, non ita multo post recuperatam libertatem e vita discessit.

Hæc de Dracontio memoriæ prodita sunt. Cujus ex operibus accepimus etiam eum adversus Arianos integram fidem christianam semper professum. Tenebant enim Ariani « Filium Patri majestate esse minorem et æternitate posteriorem, Spiritum autem Sanctum nec Deum esse, neque substantiam Patris existere, sed per Filium creatum esse, utriusque ministerio deditum, et amborum obsequio subditum (2). » Dracontius contra credebat

(1) *Carm. Min.* VI, 36-40. Notandum est etiam Gunthamundum (484-496) Hunerico multo clementiorem fuisse. Primum, paucis annis, in christianos vim adhuc adhiberi passus est ; sed mox tanta animi liberalitate usus est ut, anno 487, exsulem Eugenium, Carthaginiensem episcopum, in patriam revocaverit. Quem verisimile est non fuisse duriorem in eos qui civilium culparum pœnas darent, et, a fortiori, in eos qui, ut Dracontius, malis carminibus in vincula conjecti essent.

(2) Cf. *Patrol. Migne* t. LX, col. 658.

Deum æternum, trinum et unum, Patrem enim et Filium et Spiritum Sanctum :

« Corde sacer genitus mox constitit ipse Parenti;
« Et consors cum Patre manens, et Spiritus unus,
« Trina mente Deus, Deus auctor, temporis expers (1). »

Profitebatur Romanum Pontificem ita Ecclesiæ præesse ut eam ab errore servet,

« Præco Dei solers, et veri dogmatis index,
« Janitor æthereus, vel primus in orbe sacerdos (2). »

Homines bonos post mortem, cum anima « purgata quiescit », æternam vitam manere persuasum habebat (3); iis vero qui mortali culpa inquinati intereunt, æternas pœnas minatur,

« Quæ sine fine manent, et stant sub perpete nexu (4). »

De operibus quæ reliquit Dracontius nascitur controversia triplex, utrum in manibus nobis sint hujus poetæ carmina omnia; utrum revera composuerit omnia quæ ab eo scripta esse putantur ; quo tandem ordine poemata condiderit. Ad primum respondendum videtur non omnia Dracontii carmina etiamnunc exstare; carmen enim istud evanuit propter quod Dracontius vinculis constrictus est (5). Ad secundum pro certo asseverari posse apparet Dracontium reapse scripsisse omnia quæ ad eum refe-

(1) *Laud. Dei*, II, 67-69; Cf. *ibidem*, 60-62.
(2) *Laud. Dei*, III, 221-222.
(3) Cf. *Laud. Dei*, III, 678-679.
(4) *Ibid.* 66.
(5) Cf. Meyer, *Die Berliner Centones*, pp. 266-267.

rantur opera. Utrum Orestis tragœdia Dracontii an cujuslibet scriptoris esset, diu in contentione positum est; sed Barwinski et Rossberg necessarie demonstrarunt Orestis auctorem esse Dracontium non minus quam aliorum poematum quæ ejusdem ferantur (1).

Tertium autem plus difficultatis habet. Itaque, ut certiorem operum ordinem aggrediar, hæc in quattuor series describam :

I. **Opera quæ ante Carthaginem a Vandalis captam sunt composita**. Juvenilia sunt carmina, et, ut aiebant, controversiæ quibus, duce magistro, in conficiendis versibus exercebantur discipuli. « Controversiam de statua », in qua Dracontius Carthaginem « invictam valentemque » prædicet, ea ætate revocandam supra animadverti. Ejusdem generis sunt duo alia, « Verba Herculis » et « Deliberativa Achillis » quæ ideo non sunt sejungenda a Controversia.

II. **Opera quæ post Carthaginem captam composita sunt, sed antequam Dracontius in carcerem missus est**. Sunt epica carmina quibus poeta, jam natu grandior, gloriam sibi comparare nitebatur. In præfatione enim primi ex his carminibus, Feliciano grammatico dicati, hunc sic alloquitur :

« Sancte tu, pater, o magister, altior canendus es,
« Qui fugatas Africanæ reddis urbi litteras,
« Barbaris qui Romulidas jungis auditorio (2). »

(1) Barwinski, *Quæstiones ad Dracontium et Orestis tragœdiam pertinentes ;* Rossberg, *de Dracontio et Orestis quæ vocatur tragœdiæ auctore.*

(2) *Carm. Min.* I, 12-14.

Ergo cum Hylæ fabulam versibus enarraret Dracontius, jam sub Barbarorum dicionem redacta erat Carthago. Eodem tempore referenda sunt tria alia ejusdem generis carmina, « Raptus Helenæ », « Medea » et « Orestis tragœdia ».

III. **Dum Dracontius in carcere asservabatur**, confecta sunt, ut patet, « Laudes Dei », « Satisfactio », et « Epithalamium Joannis et Vitulæ », in quibus sæpissime de adempta libertate querimoniæ inveniuntur. Manitius (1) et Ebert (2) Satisfactionem ante Laudes Dei compositam esse contendunt; his assentior, præsertim *a*) quia Dracontius quamprimum Satisfactionem condendam habuit, ut e carcere emitteretur; *b*) quia idem propositum in utroque prosecutus est, nempe divinam misericordiam extollendam et implorandam, et, cum, post Elegiam scriptam, nondum ei pepercisset tyrannus, iterum veniam majore poemate poposcit, sed jam acerbioribus verbis, ut oppressoribus iram Dei minari non dubitaverit (3).

IV. **Post recuperatam libertatem**, alterum Epithalamium composuit Dracontius, in quo grates agit amicis quorum beneficio e carcere emissus est.

Sic igitur, temporum ordine servato, dinumeranda sunt Dracontii poemata :

1. Controversia de statua viri fortis (ed. Bæhrens, V, pp. 138-150).

2. Verba Herculis cum videret Hydræ serpentis capita

(1) Manitius, *Geschichte der christlich-lateinischen Poesie...* pp. 326 sqq.

(2) Ebert, *Histoire de la littérature du moyen âge*, t. I, p. 411, n. 2.

(3) *Laud. Dei*, I, 738-742.

pullare post cædes, cum præfatione (ed. Baehrens, III et IV, pp. 135-137).

3. Deliberativa Achillis an corpus Hectoris vendat (ed. Baehrens, IX, pp. 183-192).

4. Versiculi de Mensibus, de Origine rosarum, de Rosis, de Persæo Medusaque (ed. Baehrens, XI-XIV, pp. 214-217).

5. Hylas, cum præfatione (ed. Baehrens, I et II, pp. 128-134).

6. De Raptu Helenæ (ed. Baehrens, VIII, pp. 160-183).

7. Medea (ed. Baehrens, X, pp. 192-214).

8. Orestis tragœdia (ed. Baehrens, pp. 219-261).

9. Satisfactio ad Gunthamundum regem Vandalorum (Patrol. latin. Mign., t. LX, col. 901-932).

10. Laudes Dei (Patrol. latin. Migne (Carmen de Deo), t. LX, col. 679-901).

11. Epithalamium Joannis et Vitulæ (ed. Baehrens, VII, pp. 154-160).

12. Epithalamium (ed. Baehrens, VI, pp. 150-154).

*
* *

Multiplices sunt codices in quibus particulatim ad nos pervenerunt Dracontii carmina, qui in hunc ordinem sunt redigendi :

1. In uno codice, quondam Bobiensi, nunc Neapolitano, (quem designat Baehrens littera **N**), tradita sunt *Carmina*

*minora* I-X ; qui, sæculo XV vel XVI perscriptus, Neapoli in museo Borbonico asservatur (Cf. ed. Baehrens, p. 126).

2. *Carmina* XI et XII in nullo codice tradita, in Corio historia urbis Mediolanensis exstant (Cf. ed. Baehrens, p. 127).

3. *Carmina* XIII et XIV in uno codice, nempe Bembino (quem designat Baehrens littera **B**) sæculo XV conscripta sunt, sed sine auctoris nomine et sine titulo ; quæ Dracontio vindicavit Baehrens (Cf. ed. Baehrens, *ibid.*).

4. *Orestis tragœdia* nobis tradita est « in duobus diversæ plane indolis codicibus, ait Baehrens (1), scilicet in vetusto libro Bernensi 45, sæculi X (quem designat littera **B**), ubi post Lucani Pharsaliam exstat, et in recenti libro Ambrosiano O. 74 (quem designat littera **A**), supra sæculum XV exeunti ». Codex Bernensis Ambrosiano sine dubio est anteponendus ; sitne hic ex illo perscriptus, non satis certum videtur ; in Ambrosiano tamen pauca invenies « quæ ex meliore exemplari fluxisse tibi persuadeas (2) ».

4. In quinque codicibus ad nos pervenit carmen *de Laudibus Dei*, nempe tres Vaticani, unus Bruxellensis, et unus Rhedigeranus. Quorum momentum et auctoritatem optimis argumentis comprobavit Meyer, qui eos descripsit (3). Evicit enim Bruxellensem 10.722 (**B**), sæculi XII, longe ceteris anteferendum, et ceteros ex hoc manare ; deinde sequi Vaticanum 3.853 (**M**), sæculi XV ; dein Vaticanum 5.884 (**V**), ejusdem ætatis ; dein Rhedigeranum 59 (**R**),

(1) Cf. ed. Baehrens, p. 218.

(2) Cf. Baehrens, *Ibid.* — « Codex Ambrosianus, ait Rossberg, nullius pretii est, cum haud dubie ex ipso Bernensi fluxerit (*De Dracontio et Orestis*... p. 6). Cf. etiam Rothmaler, *Orestis tragœdia emendatur*, p. 4.

(3) Cf. *Die Berliner centones.*

ejusdem sæculi, qui Vratislaviæ invenitur; tandem Vaticanum Urbinatem 352 (**U**), sæculi quoque xv (1); quem insuper accurate descripsit Arevalo (2).

Ad hos codices addendi sunt sex alii, in quibus legitur Dracontii carmen ab Eugenio Toletano detruncatum (3), nempe Toletanus, Laudunensis 279 et quattuor Parisienses. (Bibl. nat. fonds latin 2.832, 8.093, 8.321; nouv. fonds lat. 14.758, f° 80, codex Paris. S. Victoris (4)). Addendus tandem codex Berolinensis (cod. Meermann-Philipps 1824), quem indicavit et descripsit Meyer (5), in quo traduntur Centones Dracontii de *Laudibus Dei*.

5. Dracontii carmen elegiacum, seu *Satisfactio*, in uno codice continetur, Vaticano scilicet (Bibl. reg. Succ. 508). Ibi leguntur varia opera, inter quæ versus Marci poetæ de S. Benedicto; « post hos versus Marci legitur Elegia Dracontii, quod ultimum est in hoc codice opus (6) ». Hunc codicem descripsit Arevalo (7), in quo integra exstat Elegia, exceptis paucis verbis quæ desiderantur. Insuper, in sex codicibus in quibus traditur pars Laudum Dei ab Eugenio emendata, legitur etiam *Satisfactio*, sed etiam detruncata, et quæ « *Epistula ad Theodosium juniorem Augustum* » facta est (8).

Ex his codicibus plerique carmen de Deo S. Augustino attribuunt; attamen, cum soli Dracontio Satisfactionem

(1) Cf. Meyer, *Ibidem*, pp. 263-266.
(2) Ed. Migne col 634, n. 67-80.
(3) De hac mutilatione, Cf. *infra* pp. XXXII sqq.
(4) Cf. Meyer, *Die Berliner centones*, p. 265.
(5) Cf. Meyer, *Ibidem*, pp. 259-261.
(6) Cf. edit. Migne, col. 639, n. 80-81.
(7) *Ibidem*.
(8) Cf. edit. Migne, col. 662, n. 118.

adjudicent, optime evicit Arevalo (1) 1. ex auctoritate Isidori, Eugenii et Ildefonsi, qui hæc carmina Dracontii esse affirmant ; 2. ex eo quod S. Augustinus « multis in locis disseruit mundum eodem temporis momento conditum fuisse, et distinctionem sex dierum allegoricam esse, cum Dracontius contrariam magisque communem sententiam de opificio mundi revera sex dierum spatio peracto teneat et exponat (2) » ; 3. ex connexione qua multi utriusque operis loci inter se tam similes sunt ut ab eodem poeta confici pateat ; optime, inquam, evicit Arevalo carmini Laudum Dei eumdem esse auctorem ac Satisfactioni, et ideo utrumque poema Dracontio esse assignandum. Quæ sententia tam universo omnium consensu probata est ut neminem nunc reperires qui hoc in controversiam adducere auderet. Ne igitur in re tam nota et pervulgata multus sim, nihil amplius de hoc dicam. Subjiciam tantum Arevalo et omnes qui ante eum idem typis mandarunt errasse de titulo hujus carminis quod, ex quibusdam codicibus (**R** et **U**), *Carmen de Deo* inscribebant ; sed optime probavit Meyer (3) ex ceteris codicibus (**B M V**) hujus operis titulum esse *Laudes Dei* vel *Libros de Laudibus Dei*.

*
* *

In lucem primum editus est, inter Dracontii carmina minora, Raptus Helenæ, in *Appendice ad Opera ab Ang. Mai edita* (Romæ, 1871). Carminum I-X primam editio-

(1) Cf. edit. Migne, col. 640 sqq.
(2) *Ibid.* col. 641.
(3) *Die Berliner centones*, pp. 270-272.

nem emisit Fr. de Duhn (1) (Lipsiæ, 1873); et novam Baehrens (2) (Lipsiæ, 1883). Qui hisce prioribus carminibus quattuor addidit, nempe XI-XIV, quæ Dracontio vindicavit (3).

Orestis Tragœdiam in lucem sexies ediderunt 1. C. M. Muller (Rudolstadii, 1858-1859); 2. J. Mæhly (Lipsiæ, 1866); 3. C. Schenkl (Pragæ, 1867); 4. *Appendix ad opera ab. Ang. Mai edita* (Romæ, 1871); 5. R. Peiper (Vratislaviæ, 1875); 6. Baehrens (Lipsiæ, 1883) post minora Dracontii carmina.

Tandem de editionibus *Laudum Dei* et *Satisfactionis* disserendum. Sed, ante omnia, horum carminum mutilatio, ab Eugenio facta, est sedulo explicanda.

Medio ævo, cum multo in honore essent apud Christianos opera in quibus lingua græca vel latina, soluta oratione vel versibus, omnia libro Genesis tradita de orbis terrarum et humanæ stirpis creatione narrabantur aut celebrabantur (4), ex primo libro carminis de Laudibus Dei pars excerpta est (v. 116 754) in qua mundum a Deo intra sex dies creatum esse narrat poeta, et cui impositus est titulus « *Hexaemeron seu de Opere sex dierum* ». Sæculo autem septimo, S. Eugenius tertius, Toletanus episcopus,

(1) *Dracontii carmina minora plurima inedita, ex cod. Neapolit.* (Teubner), 1873.

(2) Bibl. Teubn. *Poetæ lat. minores*, t. V, pp. 126 sqq.

(3) *Rhenisch Mus.* t. XXXIII, pp. 313 sqq. Cf. ed. Baehrens, p. 127.

(4) Sic, IV° sæculo, Juvencus librum unum in Genesim scripsit; Hilarius, Pictaviensis episcopus, propemodum ducentis versibus hoc ipsum cecinit; Hippolytus Africanus et Prudentius poeta, quorum opus intercidit, S. Basilius et S. Ambrosius libros qui « Hexaemeron » inscribebantur confecerunt. — Cf. Gamber, *le Livre de la Genèse*, p. 48, n. 1.

hanc eamdem partem, jussu Chindasvinthi, Gothorum in Hispania degentium regis (642-649) emendandam suscepit. Rem igitur libentissime aggressus Eugenius, totam dedit curam, non solum ut « errores quibus videret involutum poema auferret, superflua demeret, semiplena suppleret, fracta constabiliret, et crebro repetita mutaret », sed etiam ut versus complures « sensu tepidos et verbis illepidos, et nulla ratione subnixos » omnino detraheret (1). Immo, cum de die septimo plane reticuisset Dracontius, hunc suis ipsius verbis canendum statuit Eugenius, qui ita Heptaemeron, seu Carmen de Opere septem dierum confecit, quod tamen *Hexaemeron* stolide inscripserit (2). Quod nefandum opus longius persecutus est, atque, detruncato carmine *Laudum Dei*, detruncandam et *Satisfactionem* suscepit, quæ, facta Epistula ad Theodosium juniorem Augustum, loco libri secundi Hexaemeri divulgata est, in quo Dracontius « ab omnipotente Deo veniam peteret, ne præcedenti carmine incautus aliquid errasset (3) ». Hæc autem fuit, saltem ex editione ab Arevalo data, mutilatio ab Eugenio patrata : ex nongentis quinquaginta quinque versibus (Cf. *Laud. Dei*, I, 116-754; *Satisf.* 1-316) qui Hexaemeron falso vocati sunt, in primo libro quinque omnino detraxit, centum sexaginta mutavit, et quadringentos septuaginta quattuor integros transcripsit; in secundo libro (*Satisfact.*) nonaginta novem omisit, centum duos emendavit, et centum quindecim integros transcripsit; seu, ut summam faciam, quingentos octo-

(1) Cf. *Epistul. Eugenii ad Chindasv. regem,* in Prolegomen. ad Dracontium, ed. Migne, col. 604.

(2) Cf. hoc carmen in Patrol. Migne, t. LXXXVII, col. 369 sqq.

(3) Cf. Patrol. Migne, *Ibidem*, col. 383-388.

ginta novem transcripsit, et trecentos septuaginta sex emendavit aut delevit.

Hinc multæ Dracontii ab Eugenio emendati factæ sunt editiones, præsertim in christianorum poetarum collectaneis, ac tantum anno 1791 primum integrum editum est carmen *Laudum Dei* cum *Satisfactione*. Hæ sunt horum carminum editiones :

1. Inter opera Cl. Marii Victoris, edita a Guill. Morel, Parisiis, 1650, in-8°, legitur *Hexaemeron*, seu *Laudum Dei lib.* I, v. 116-754.

2. Poetarum veterum ecclesiasticorum opera christiana et operum reliquiæ atque fragmenta, edita a Georg. Fabricius, Basileæ, 1564, in-4° (lib. I, sine libro II *Satisfactionis*).

3-6. Magna Bibliotheca veterum Patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, edita a Margar. de la Bigne, Parisiis, 1589, in-fol. (lib. I, sine libro II *Satisfactionis*). Repetita est hæc editio, ann. 1624, 1644, 1654.

7. Dracontii Toletani Hispani Hexaemeron, seu de opere sex dierum et creatione mundi liber singularis (sine *Satisfactione*), J. Weitz, Francofurti, 1610, in-18 (non in-8°, ut indicat Arevalo, ed. Migne, col. 630, n. 56).

8. Chorus poetarum classicorum duplex, sacrorum et profanorum, ed. ab Alexandr. Fichet, Lugduni, 1616, in-4°; pars II, pp. 518-526 (lib. I, sine *Satisf.*).

9. Magna Bibliotheca veterum Patrum, Coloniæ Agrippinæ, 1618, in-fol., t. VI, p. 500 (lib. I, sine *Satisf.*).

10. Beati Eugenii episcopi Toletani opuscula, quibus inserti sunt Dracontii libelli duo, ab Eugenio eodem olim recogniti, edita a Jac. Sirmond, Parisiis, 1619, in-8° (Prima *Satisfactionis* editio, sub titulo secundi libri).

11. Dracontii Hispani libellorum biga, quorum prior de opere sex dierum... alter vero posterior elegiaca postfatio quasi quædam est... edit. ab Andr. Rivin, Lipsiæ, 1651, in-8° (Titulus totus legitur in edit. Migne col. 632, n° 61). Eadem editio est ac præcedens (n° 10).

12. Maxima Bibliotheca veterum Patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, Lugduni, 1677, in-fol., t. IX p. 724. Eadem est ac editio Sirmond (n° 10).

13-14. Opera Sirmondi, edit. a Jac. de la Baune, Parisiis, 1696, t. II. Eadem est ac editio Sirmond (n° 10). Repetita est Venetiis, 1728.

15-16. Bibliotheca veterum Patrum antiquorumque scriptorum ecclesiasticorum græco-latina, Andr. Galland, Venetiis, 1773 et 1788, t. IX, in-fol., p. 705 (duo libri).

17. SS. Patrum Toletanorum quotquot exstant opera, Fr. de Lorenzana, Matriti, 1782, in-fol., t. I, p. 34 (duo libri).

18. Dracontii carmina ex Mss. Vatican. duplo auctiora iis quæ adhuc prodierunt, recensuit F. Arevalo, Romæ, 1791, in-4°. Primum editi sunt integri tres libri *Laudum Dei*, sub titulo « *Carmen de Deo* », quibus *Satisfactio* restituta postponitur.

19. Dracontii presbyteri Hispanensis carmen epicum ab Eugenio episcopo Toletano ed. Carpzov, Helmstadii, 1794, in-8°. Eadem est ac editio Sirmond (n° 10).

20. Caii Cœlii Sedulii, Belisarii... Lactantii et Dracontii opera ed. A. F. Hurez, Cameraci, 1826, in-8°. Eadem est ac editio Arevalo (n° 18).

21-22. Patrologiæ cursus completus, editus a Migne, Parisiis, 1847, in-4°, t. LX, col. 595. Eadem est ac editio

Arevalo (n° 18). In eadem Patrologia, t. LXXXVII, legitur Dracontii carmen ab Eugenio emendatum (duo libri).

23. Carminis de Deo quod Dracontius scripsit lib. III, (1843), lib. II (1847), edid. C. E. Glaeser, Vratislaviæ.

24. Insuper satisfactio edita est a Fr. de Duhn cum minoribus carminibus Dracontii, Lipsiæ, 1873 (Teubner).

*
* *

Multi critici, iidemque doctissimi, inter quos Germani longe primas tenent, desudaverunt ut Dracontii opus innumerabilibus codicum mendis expedirent et integrum in locum emitterent. Inter quos hi præcipue laudandi sunt :

1) De carminibus minoribus. Raptu Helenæ in *Appendice ad opera ab Ang. Mai edita* in lucem emisso, Bucheler et Baehrens huic editioni symbolas criticas contulerunt, prior in *Rheinisch. Mus.*, t. XXVII, p. 477 ; posterior in *Fleckeis. Annalibus* (1), 1873, pp. 69 sqq.

Postquam Fr. de Duhn cum Bucheler carmina minora emisit, Baehrens (*Fleckeis. Annal.*, 1873, pp. 265 sqq.) ; Ribbeck (*Rhein. Mus.*, t. XXVIII, pp. 461 sqq.); C. Schenkl (*Zeitschrift für die österr. Gymnasien*, 1873, pp. 510 sqq.) ; Schmidt (*Rhein. Mus.*, t. XXIX, p. 202) ; R. Ellis (*Journal of Philol.* t. V, p. 252) ; Conr. Rossberg (*In Dracontii carmina minora et Orestis quæ vocatur tragœdiam observationes criticæ*, Stadæ 1878. — *Dissertatio de*

(1) Cf. titulum integrum Annalium in Indice Bibliographico, ad Fleckeisen.

*Dracontio et Orestis quæ vocatur tragœdiæ auctore, eorumdem poetarum... imitatoribus*, Nordæ, 1880. — *Fleckeis. Annal.*, 1879, p. 475 sqq.) criticas dissertationes de nova editione scripserunt. Itaque jam satis clare emendantur Dracontii carmina minora.

2) De Orestis Tragœdia. Hoc carmen a C. G. Muller primum editum Fr. Haase et A. Rothmaler (*Programm. Scholæ Nordhusiensis*, 1865) emendandum susceperunt. Post editionem Maehly criticam dissertationem scripsit L. Muller (*Rhein. Mus.*, t. XXI, pp. 455 sqq.). Post editionem C. Schenkl de Orestis tragœdia disseruit Schwab (*Progr. Universitatis litterarum Dorpatensis*, 1867); item Rothmaler (*Fleckeis. Annal.*, 1867, pp. 861 sqq.), et Hagen (*Philol.*, t. XXVII, pp. 157 sqq.). Post eamdem tragœdiam in *Appendice ad opera Mai* editam, Baehrens de nonnullis locis disputavit (*Rhein. Mus.*, t. XXVI, p. 493 ; *Fleckeis. Annal.*, 1872, p. 636).

Post editionem Peiper, Rossberg, in compluribus disputationibus, diligentissime percurrit et quasi omnia Orestis verba everrit, ut de hoc carmine fere nihil jam dicere liceat (*Materialien zu einem Commentar über die Orestis Tragœdia des Dracontius*, Hildesheim, erste Hälfte, 1888 ; Schluss, 1889. Cf. etiam ejusdem libellos supra citatos ; Cf. ejusdem complures criticas notas in *Archiv für lat. Lexik. und Gramm.*, t. I, pp. 398 et 564 ; t. IV, p. 44-51 ; t. V, p. 150-152). Eodem tempore, in tribus opusculis totidem quæstiones ad Dracontium et Orestis tragœdiam pertinentes tractabat (quæst. i, *de Genere dicendi*, Gottingæ, 1887 ; quæst. ii, *De rerum mythicarum tractatione*, Deutsch-Krone, 1888 ; quæst. iii, *De rationibus prosodiacis et metricis*, Deutsch-Krone, 1890). Cf. tandem quæ in biblio-

graphico indice enumerantur aliorum doctorum notas, v. g. Crusius, Loewe, Riese, Teuffel, etc... Ex his igitur constat minorum carminum et Orestis versus ut cum maxime in pristinum esse restitutos.

3) De Satisfactione et Laudibus Dei. De Satisfactione et Laudibus Dei non ita. Quamvis enim plurimi sint codices in quibus nobis tradita sint hæc poemata, res non ideo expeditur; nam omnes ex eodem proveniunt, nempe Bruxellensi, qui plurimis mendis vitiatur (1). Quattuor tamen critici digni sunt qui nominentur, cum magnopere contenderint ut horum carminum versus in integrum emitterent: Arevalo, qui primus in tribus libris edidit Laudes Dei, quas inscripsit *Carmen de Deo*, atque Elegiam *Satisfactionis*, cui verum titulum reddidit. Cum mendoso codice uteretur, supplevit plures versuum partes aut etiam versus qui in codice legi non possent; sed semper operam dedit ut italicis litteris discernerentur. Post eum novam secundi et tertii libri Laudum Dei editionem ex codice Rhedigerano fecit Glaeser, et complures versus qui apud Arevalo deficiebant tradidit; sic in libro II, apud Arevalo, 808 versus leguntur, 813 apud Glaeser; in libro III, 682 apud Arevalo, 699 apud Glaeser. Insuper quasdam lectiones emendavit et versus totos correxit. — Anno 1852, Ang. Mai (2) emendationes a Glaeser allatas confirmavit, paucas addidit, et unum versum in primo libro *Laudum Dei* adjecit. Tandem, anno 1890, Meyer, *Centonibus Laudum Dei Berolinensibus* accurate excussis, complures versus emendavit, aliorum locum mutavit, et duos novos in libro I, quinque in libro II, et

(1) Cf. *Die Berliner centones*, p. 269.
(2) *Nova Patrum Bibliotheca*, t. I, pars II, p. 162.

undequadraginta in libro tertio restituit. Hinc, ex correctionibus Glaeser et Meyer, *Laudum Dei* versus numerantur in libro I, 756 ; in libro II, 818; et in libro III, 738, seu, in totum, 2312 (1). Nihilominus, hujus carminis singularis, sed parum cogniti, ut ait Meyer (2), deficit adhuc bona editio.

In hujus operis decursu, de *Carminibus minoribus* ac *Orestis Tragœdia* ad editionem Baehrens, et de *Laudibus Dei* ac *Satisfactione* ad editionem Migne remittam.

(1) Cf. Meyer, *Die Berliner centones*, p. 269, cum nota et pp. 272-279.

3) Cf. Meyer, *Ibidem*, p. 270.

# PROŒMIUM

Dracontii poeticam linguam a lingua classicorum poetarum multum differre, et ad vulgarem sermonem accedere probandum habeo. Opus autem antequam aggrediar, tria animadvertenda censeo :

1. — Latini scriptores a quibus constat vulgarem sermonem plurimum adhiberi, sic plerumque digeruntur :

Comici (Plautus et Terentius).

Scriptores Rei Rusticæ (Cato, Varro, Columella, Palladius).

M. Tullius, in prioribus orationibus et dialogis et epistulis.

Auctores Belli africani et Belli hispaniensis.

Vitruvius.

Seneca Rhetor.

Petronius.

Apuleius.

Scriptores historiæ Augustæ.

Ecclesiastici auctores (1).

2. — Præcipuæ notæ, quibus dignoscitur sermo vulgaris, sic enumerari possunt :

*a*) Vocabula nova sæpe et quasi sponte pariuntur.

(1) Cf. Goelzer, *Grammaticæ... observationes*, p. xv, n. 1.

*b*) Vetera vocabula multa non jam propriam, sed insolentem habent significationem.

*c*) Verborum tempora et modi inter se confunduntur, et præsertim in interrogationibus indirectis, ubi subjunctivus sæpe obsolescit.

*d*) Simplicium verborum loco adhibentur verba composita, in quibus præpositiones amittunt propriam significationem ut tantum verbi simplicis vim augeant.

*e*) Conjunctiones contra grammaticas leges crebro modos accipiunt.

*f*) Præpositiones sæpius et fortuito usurpantur (1).

3. — Christianus erat Dracontius, et, in sacris poematis, christianæ fidei res tractandas suscepit ; ideo christianæ religionis verbis et lingua uti debuit. Christianis vero cum multa nova enuntianda essent, quæ ne præsensissent quidem majores, nova vocabula parienda et vetera insolenti significatione usurpanda fuerunt. Cum autem ea ratione uti cœperit Noster, eum novorum vocabulorum studium tenuit, cui non solum in sacris, sed et in profanis operibus indulsit ; tum novis vocabulis fabricandis, etiam cum iis opus non esset, delectatus est. Ideo, plebeium sermonem, vitiosis verbis et locutionibus conspicuum, ultro adhibuit ; orationem nec lenitate quadam æquabili profluentem affectavit, nec inquinatam abhorruit, sed presse magis quam magnifice, vehementer magis quam subtiliter locutus est, eoque libentius quod abundantia, aut potius luxuria verborum apud plebem semper maximo fuerit in honore. Cum tandem Scripturæ sacræ legendæ magnam curam dederit, locutiones et verba librorum sacrorum, quibus plebs ipsa in cotidiano sermone utebatur, in suis operibus collocare non dubitavit. Inde jam apparet Dra-

(1) Cf. Goelzer, *Ibidem*.

contii poeticam linguam singulari succo imbutam esse, et ideo sane dignam quæ sedulo illustretur.

Quæ cum proposita sint, sermonis singulæ partes ordinatim tractabuntur (1).

(1) De Genere dicendi a Dracontio usurpato jam disputaverunt imprimis Barwinski et Westhoff (*op. cit.*) quibus debeo et ago gratias.

# CAPUT I

## DE SUBSTANTIVO

### I

Inveniuntur apud Dracontium nonnulla substantiva antehac inusitata, et quæ nunquam aut raro a posterioris ætatis scriptoribus adhibita sunt.

Ademptus, ûs, *Carm. Min.* x, 133 : Nec sentit ademptum Successu redeunte novo (Cf. *Archiv für lat. Lexik. und Grammatik*, t. II, p. 111).

Anxia, æ, *Orest.* 559 : Conturbat pietas, dolor, anxia, mæror, origo ; ita ex codicibus et ex Rossberg (1) ; Legit Baehrens angina. Maehly angor ; sed angina melior videtur; legitur enim apud duos Afros, Tertull. *de Anim.* xlviii, angina mentis ; et apud Fulgent. *Myth.* i. *præf.* angina mærorum. (Cf. *Archiv für lat.* t. VIII, p. 183, in nota).

Catulaster, Catulastra aut Catulastrum, *Laud. Dei*, ii, 252 : Non catulaster agit puerilia. Legitur catulaster apud Priscian. (iv° sæculo) *Comment. grammatic.* iii, 26 ; invenitur etiam in *Glossis* Cyrilli et Philoxeni. — Legitur catlaster apud Vitruv. iii, 4. — Sirmond et, nostra ætate,

(1) Cf. *Archiv für lat. Lex. und Gramm.* t. I, p. 564. — Rossberg, *Materialien*, II, p. 66 : Anxia war natürlich ursprünglich Neutr. plur. ; sprang aber bei seiner Substantivierung im Volksmunde als Femininum in den Singular uber.

Rossberg (*Archiv für lat.* t. I, p. 398) legunt : Non catulastra gerit puerilia. Hinc Forcellini : « Catulastra, æ, ait, est puella jam grandis et viri patiens. » Sed apud du Cange legitur catulastrum, i, ludus puerilis. — Arduum est inter tam diversas lectiones delectum habere ; libenter tamen lego catulastra, æ : non catulastra gerit puerilia. Priscianus enim (*loc. cit.*) affirmat catulaster e deminutivo catulus venire ; inde significat juvenem xv annorum, et ideo catulastra indicat ejusdem ætatis puellam. — Item Rob. Stephanus, *Thesaurus ling. lat.* — Cf. *Archiv für lat.* loc. cit.

Jugulatrix, *Orest.* 590 : Jugulatricem patris dum videre censes. Cf. Jugulator, Goelzer, *S. Jérôme*, p. 49. — Legitur tractatrix apud Martial. iii, 82.

Jussor. *Laud. Dei*, ii, 252 : Illic jussor erat, nos autem operarius aptat. (ex Berol. centonibus, Cf. Meyer, *Die Berliner centones*, p. 269). Attamen jussor invenitur in *Glossis* Philoxeni. (Cf. du Cange, Rob. Stephan.)

Prædux, *Carm. Min.* x, 131 : Amor, te præduce, mundo Alternant elementa vices. — *Laud. Dei,* ii, 23 : præduce jussu. — Invenitur in Epistula Joannis Papæ VIII, ann. 876, ad Carolum Calvum. (Cf. Rob. Stephan. op. cit.)

Præstitum, *Sat.* 186 : Si nulla dedisset Non exoratus præstita supplicibus. — Medio ævo invenitur apud Brussel, *de Usu Feudorum,* t. I, p. 471. — Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 111, minutum, statutum.

Relatrix, *Carm. Min.* ix, 17 : pueris mentitur fama relatrix. — Invenitur relator apud Cic. *ad Attic.* viii, 24 ; Propert. iii, 4, 5 ; Fortunat. *Vit. S. Martin.* ii, 471 ; et in *Capitul.* Carol. Magn. ii, 26.

Rosula, *Laud. Dei*, ii, 441 : Et rosulas proferret hiems. Legitur in Inventario S. Capell. Paris. ann. 1335, et in alio Inventar. ann. 1363. (Cf. du Cange, *Lexic.*)

Tractura, *Carm. Min.* ix, 149 : Nam partem tractura

tenet. — Post Dracont. Veget. *de Art. Veterin.* II, 59. Legitur etiam in charta ann. 1130 Marc. hispan. col. 1269, et in Concil. Arand. ann. 1473, XXI.

## II

Inveniuntur substantiva quæ raro a scriptoribus latinis adhibentur :

ADORATUS, ûs, *Orest.* 465 : Cujus adoratus constat per templa precantis. — S. Hieron. *in Luc. hom.* 14. (Cf. Goelzer, op. cit. p. 85.)

ANGINA, Cf. supra p. 4, anxia. — Plaut. *Mostell.* I, 3, 61 ; — Cels. *de Medic.* II, 10 ; — Plin. *Hist. Nat.* XXIII, 2, 29.

ARATOR, Cf. infra RIGATOR.

ATHLON (græca vox), *Orest.* 562 : quæ perpessa diu bis quino mense per athla. — Petron. *Fragment.* 57 ; — Manil. *Astron.* 3, 162, 172, 193, etc... — Hygin. *fab.* 30 ; — Ampell. (IVᵒ sæc.) *Lib. Mem.* 2.

BABYLONA, Æ, *Sat.* 31 : Persarum regem Babylonæ regna tenentem. — Sulp. Sev. *Chronic.* I, 5, 3, 4, etc.. (Cf. Goelzer, *Grammaticæ... observationes,* p. 31.)

CHELYDRUS, *Laud. Dei*, III, 298 : Illic securi spatiantur ubique chelydri. — Verg. *Georg.* III, 415 ; — Lucan. *Phars.* IX, 711.

DECREMENTUM, *Laud. Dei*, III, 527 : Incrementa Deus vel decrementa recusat. — Aul. Gell. III, 10, 11 ; — Apul. *Metam.* XI.

FACTOR, *Laud. Dei*, II, 532 : Vivere debuimus tanquam factoris imago. — Plaut. *Curc.* II, 3, 18 ; — Pallad. I, 6 ; — Coripp. *de Laud. Justin.* I, 340 ; *Johann.* I, 288 ; III, 125.

Factura, *Laud. Dei*, iii, 533 : Quos deceat factura Dei pietate magistra. — Plin. *Hist. Nat.* xxxiv, 14, 41 ; — Aul. Gell. xiii, 29 ; — Prudent. *Apotheos.* 791 ; — Sedul. *Carm. Pasch.* i ; — Tertull. *de Anim.* iv.

Fontigena, *Carm. Min.* ii, 137 : Fontigenis dat serta comis. — Capell. *Carm.* vi, 1. Cf. Fonticola, *Archiv für lat. Lexik. und Gramm.* t. XI, p. 130.

Haustor, *Laud. Dei*, iii, 351 : Sanguinis haustor. — Lucan. *Phars.* ix, 591 ; — Firmic. *Astronom.* viii, 29.

Indultor, *Laud. Dei*, ii, 554 : Et tamen indultor mansit post funera carnis. — Tertull. *advers. Marcion.* iv, 9.

Indumentum, *Orest.* 211 : Mutare necesse est Indumenta duci. — Cic. *de Nat. Deor.* i, 68 ; — Aul. Gell. v, 7 ; xvi, 19 ; — Aurel. Vict. *Epitom. de Cæsar.* xxi. — Prudent. *Cathem.* ix, 99 ; — Lactant. *de Op. Dei*, xiii.

Ingratia (in privativ.) *Carm. Min.* x, 270 : Ecce triumphantes ingratia dura jugales Consequitur. — Plaut. *Cas.* ii, 5, 7 ; *Merc.* ii, 4, 11 ; — Corn. Nep. *Themist.* 4 ; — Cic. *Pro Quint.* xiv ; — Tertull. *Pœnitent.* 1 et 2.

Maga, *Carm. Min.* x, 343 : Nec gemitus latuere magam. — Ovid. *Metam.* vii, 195 ; — Senec. *Herc. Oet.* 523 ; — S. Aug. *De Civit. Dei*, xviii, 17.

Martyrium, *Laud. Dei*, ii, 572 : Martyrium Stephano qui fecerat, inde recepit. — Tertull. *de Spect.* 29 ; *advers. hæret.* 46 ; — S. Hieron. *Vit. Malch.* 1 ; *Vit. Hilarion.* 31 ; *advers. Jovinian.* 1 ; fere omnes ecclesiastici scriptores ; — *Cod.* Justin. i, 2, 16.

Præventor, *Orest.* 213 : Egredere, præventor atrox. — Ammian. *Rer. Gest.* xviii, 9. (Cf. Rothmaler, *Orestis tragœdia emendatur*, p. 9.)

Python, *Laud. Dei*, ii, 328 : Ut cantavit agens animam in pythone prophetæ. — *In Script. Sacr.* I. Lib. Reg. xxviii, 7 et 8 ; — Lucan. *Pharsal.* v, 80, et vi, 408 ; —

Claudian. *in Rufin.* I, *præfat.* 1. — Cf. etiam Ovid. *Metam.* I, 438 sqq. ; — Macrob. *Saturn.* I, 17.

Rigator et Arator, *Laud. Dei*, I, 552 : Ipse rigator erat, sator, altor, messor, arator. — Invenitur Rigator ap. Tertull. *advers. Valentin.* XV ; — S. Aug. *Epist.* CXII ; — S. Paul. Nol. *Epist.* XXXIX ; *Natal.* VIII, 239. — Arator legitur apud Plin. *Hist. Nat.* XVIII, 19, 49 ; — Ovid. *Fast.* I, 698 ; — Cic. *Agron.* II, 31 ; *Verr.* V, 55.

Summas, atis, *Orest.* 911 : Summates Danaum, sapientes lumine cordis. — Plaut. *Pseud.* I, 2, 90 ; — Apul. *Metam.* 11 ; — Sidon. Apoll. *Epist.* IX, 6.

Temerator, *Carm. Min.* IX, 34 : Temerator primus Iason Venerat. — Forsan *Orest.* 951 (ex Rossberg, *Materialien*, II, p. 104) : Quis temerator erit cælestia jussa movere ? (Muller et Baehrens : temere auctor erit ; Barwinski : temere audebit). — Stat. *Theb.* XI, 12 ; *Achill.* I, 600. — Impp. Valent. et Val. Cod. XII, 55, 2 ; *Dig.* XLVIII, 10, 29.

Tentator, *Laud. Dei*, III, 126 : (Deus) non est tentator habendus. — Horat. *Carm.* III, 4, 71, sed non in eodem sensu. — *In Sacr. Script.* Matth. IV, 3. Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 231. — Cf. etiam in Script. Sacr. « intentator », Jacob. I, 13 : « Deus enim intentator malorum est ».

Verbero, *Orest.* 426 : Verbero plectibilis comes armipotentis Achillis. — Plaut. *Amph.* I, 1, 128 ; — Terent. *Phorm.* IV, 4, 3 ; — Cic. *Ad Attic.* XIV, 6.

Viror, *Sat.* 231 : Natas segetes viror armat aristis. — Pallad. *de Re Rust.* VII, 12 ; — Vopisc. *Vit. Aurel. Prob.* XIX ; — Apul. *Florid.* X.

Vola, *Laud. Dei*, III, 637 : Brachia junguntur, vola nascitur. — Serv. *in Verg. Georg.* II, 88 ; — Plin. *Hist. Nat.* XI, 45 ; 105 ; — Prudent. *Apoth.* 927.

Xenium (græca vox), *Laud. Dei*, II, 768 : Det pauper xenia nobis. — Martial. *tit. libr.* XIII ; XIII, 3. — Plin. Min.

*Epist.* v, 14 ; vi, 31. — Vitruv. vi, 10 ; — Ulpian. *Dig.* i, 16, 6. — Item in libro Sirach xx, 31 ; Cf. *Archiv für lat...* t. VIII, p. 519.

## III

Alia substantiva, quorum pleraque a latinis scriptoribus sæpe usitata fuerunt, enormem habent significationem. Inter ea primum sejungenda sunt quæ in novum sensum a Christianis sunt inflexa :

Angelus = cælestis spiritus, Dei nuntius et minister. *Laud. Dei*, iii, 174 : mitissimus angelus intrans, Cujus erat similis divinæ prolis imago. — *In Script. Sacr.* Gen. xvi, 7, 9 ; xix, 1, 15 ; Num. xxii, 22, 23, 24, 26, 27, 31, 32, 35, et in plurimis locis ; sæpissime etiam apud omnes ecclesiasticos scriptores.

Cælicolæ = Angeli, *Laud. Dei*, ii, 474 : Agmina cælicolum.— S. Aug. *De Civit. Dei*, x, 1.— Apud latinos scriptores, designat ipsos Deos, Cf. Verg. *Æn.* vi, 554, 587.

Creator = Deus, *Laud. Dei*, ii, 227 : Poterasque, creator, Non angues, non omne nocens permittere nasci. — Sæpe in *Sacr. Script.* Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 229. — In *Laud. Dei*, i, 27, vox « natura creatrix » eodem sensu adhibetur ac apud Lucretium, *de Nat. Rer.* i, 622 : « Rerum natura creatrix. »

Ut significetur Deus, inveniuntur etiam Parens, *Laud. Dei*, ii, 492 : Pietas tamen alma Parentis. — Regnator, *Sat.* 147 : Sic tua, Regnator, non impia frangitur ira. — Auctor, *Laud. Dei*, ii, 262 : Quid quod mortiferis animalibus induit auctor ? — Dominator et Auctor, *Laud. Dei*, i, 335. — Factor, *Laud. Dei*, iii, 532 : Vivere debemus tanquam

Factoris imago. — *In Script. Sacr.* Job. xxxii, 22 ; Isai. xvii, 7, etc... Inde Factura = creatura, *Laud. Dei*, iii, 533 : Quos deceat factura Dei ; Cf. S. Paul. *Ep. ad Ephes.* ii, 10 ; — Prudent. *Apotheos.* 791 ; — Sedul. *Carm. pasch.* i ; Cf. Goelzer, op. cit. p. 228. — Dominus, *Laud. Dei*, i, 32, 226, 243, 429 ; ii, 137, 369, 538, 649, 657, 678, 802; iii, 167, 606 ; *Sat.* 96. — Sæpissime in *Script. Sacr.* et apud ecclesiasticos scriptores. — Lucis Origo, *Laud. Dei*, i, 131 : Initium factis lucem dat lucis origo ; ii, 1. — Omnipotens, *Laud. Dei*, i, 90, 405, 417, 491 ; ii, 418 ; — *In Script. Sacr.* Exod. xv, 3 ; Ruth. i, 20 ; Job. viii, 3 ; xxiii, 16 ; xxvii, 2, etc. — Sanctus, *Laud. Dei*, i, 744 ; ii, 597 ; iii, 598, 661. — Jubens, *Laud. Dei*, ii, 171 : Virtute Jubentis. — Denique, paganorum poetarum more, Tonans, *Laud. Dei*, i, 1, 92, 141, 397, 674, 685 ; ii, 168, 235, 250, 338, 670 ; iii, 210, 235, 645 ; *Sat.* 149. — Ita Ovid. *Heroid.* ix, 7 ; *Fast.* 69 ; *Metam.* i, 170 ; Lucan. ; Valer. Flacc. ; Martial. etc...

Fides = fides Deo habita, *Laud. Dei*, i, 81 : Conservat natura fidem ; ii, 674 : Exegit quid plena fides et credula dixi ; iii, 248 : pura fides. — Lactant. *de Vera Sapient.* iv, 30 ; — S. Hieron. *Ep.* lxxiii, 2 ; lxxxii, 5 ; c. 9. — *In Script. Sacr.* Ps. xxxii, 4 ; Sapient. iii, 14 ; Eccli. xlvi, 17 ; Isai. xi, 5, etc... Cf. Goelzer, op. cit. p. 233.

Passio = cruciatus, *Laud. Dei*, ii, 517 : (Christi) salutaris passio membra peremit. — *Sat.* 264 : Horam speravit passio sancta crucis. — Prudent. *Peristeph.* v, 291 ; — Maximian. Gall. *Eleg.* iii, 42 ; — sæpissime apud christianos scriptores ; Cf. Goelzer, op. cit. p. 73.

Pater, = prima SS. Trinitatis persona, *Laud. Dei*, ii, 68, 99, 102. — Filius = secunda SS. Trinitatis persona, *Laud. Dei*, ii, 103 ; vocatur etiam Sanctus, *Laud. Dei*, ii, 32, et Consors genitoris amatus, *Laud. Dei*, ii, 547. — Spiritus = tertia SS. Trinitatis persona, *Laud. Dei*, ii, 68, 149. —

Sic vocantur in plurimis *Script. Sacr.* locis, et apud omnes christianos scriptores.

PROPHETA = qui, a Deo illuminatus, de Messia, de mortuorum resurrectione, etc... prædixit, *Laud. Dei*, III, 162 : Cælum possedit origo Sancta prophetarum ; 611, clamante propheta ; *Sat.* 17 : Hoc tua verba probant Moseo dicta prophetæ ; 309 : pia verba prophetæ. — Lactant. I, 4 ; IV, 11, et sæpissime *in Script. Sacr.* et apud omnes christianos scriptores.

REUS = peccator, *Laud. Dei*, II, 656 : Sic reus et veniam celerem (ex Berol. centon.) sub voce meretur.

THRONUS = unus ex novem angelorum choris, *Laud. Dei*, II, 204 : Thronus in excelsis humili te voce precatur. — S. Paul. *Ep. ad Coloss.* I, 16.

Cetera substantiva quibus insolens tribuitur significatio sunt :

ARMA = castra, *Laud. Dei*, III, 271 : petit arma tyranni.

CICUTA = favus mellis, *Laud. Dei*, I, 199 : Non apibus labor est ceris formare cicutas.

COMPAGES = corpus, *Laud. Dei*, II, 84 : Induitur compage Deus.

FENESTRA = oculus, *Laud. Dei*, III, 619 : palpebra tegunt luces mundantque fenestras. — Hæc vox adhibetur etiam ad superiorem vestis partem significandam, quae collum circumdat, *Orest.* 256 : tunicæ fenestra.

FINE = causa, *Laud. Dei*, I, 560 : (mors) male viventi præstatur fine salutis. — Cf. *Archiv für lat....* t. I, pp. 424-425.

FLABELLUM = lingua, *Laud. Dei*, III, 635 : Dentibus adduntur rubicundo labra flabello. — Ex Cicer. *pro Flacc.* 23 : Cujus lingua, quasi flabello seditionis, illa tum est egentium concio ventilata.

Flosculus = prima barba, *Carm. Min.* viii, 493 : Ut roseo prorumpat flosculus ore. — Ex Verg. *Æn.* viii, 160 : Tum mihi prima genas vestibat flore juventas. — Cf. Lucan. *Phars.* vi, 562.

Funus = mors, *Carm. Min.* x, 25 : Cum rapuere rotis post funera tanta nocentem ; *Orest.* 94 : Pignora redde precor reduci post funera patri ; 202 : Vivere felicem post funera tanta quiete. — Verg. *Eclg.* v, 20 ; *Æn.* vi, 439.

Furor = vehemens gloriæ et laudis cupido, *Laud. Dei*, iii, 292 : Portio telluris fratrum concessa furori. — Sil. Ital. *Punic.* ii, 324 ; iii, 146.

Hostis = inimicus, *Orest.* 362 : vitricus hostis. — Cic. *Verr.* iv, 6 ; *Philipp.* ii, 26.

Inguina, um = renes, *Laud. Dei,* iii, 192 ; inguinibus strictis. — Stat. *Theb.* vi, 900 : pedibus simul inguina vinxit.

Liquor = aqua, *Laud. Dei*, iii, 63 : Ut gelidum digito mereatur lingua liquorem ; 569 : pelagi vincent mala nostra liquores. — Cic. *de Nat. Deor.* ii, 39 : liquores perlucidi amnium.

Lux = oculus, *Laud. Dei*, iii, 619 ; Cf. supra fenestra, p. 11. — Stat. *Theb.* xi, 588 ; — Ovid. *Metam.* xiv, 197 ; — Rutil. *Itiner.* i, 166.

Materies = uterus, *Laud. Dei*, ii, 665 : Murmure sub tacito sterilem defleverat Anna Materiem. — Fere in eodem sensu accipitur apud Colum. vii, 3 : Quod ex vetere materia nascitur, plerumque congeneratum parentis senium refert. — Arevalo proponit matricem, sed in nullo codice invenitur hæc lectio.

Merces = pœna, *Laud. Dei*, ii, 310 : feriendus erat mercede pudoris. — Liv. xxxix, 55 : gravem temeritatis mercedem.

Merx = res, *Sat.* 199 : Fama ducum merx est bellis collecta cruentis.

Mors = principium, causa mortis, *Sat.* 65 : Aspis habet mortes. — Stat. *Theb.* vi, 792 ; — Sil. Ital. *Punic.* ix, 368.

Parentes = omnes consanguinei, *Laud. Dei*, iii, 586 : abiere parentes. — Sic usurpatur hæc vox a multis senescentis latinitatis scriptoribus. (Cf. franco-gallice : parents.) — Cf. Goelzer, op. cit. p. 271.

Patres = pater et mater, *Laud. Dei*, iii, 116 : non orbaret dilecto pignore patres.

Populi = homines, *Laud. Dei*, iii, 350 : Militis armati tantum potuisse dolorem Mirantur populi. — *Sat.* 216 : Quod pereunt populi, temporis ordo regit ; *Carm. Min.* vi, 70 :

> Pan calamis perflare melos Bacchaeque rotari
> Sileno cantante calent populosque movere.

x, 522 : Diffugiunt omnes, populi, conviva, ministri. Cf. *Orest.* 201, 382, 384, 958 ; — Cf. Rossberg, *Materialien*, i, p. 24.

Reatus = culpa, *Carm. Min.* x, 394 : confessa reatum ; *Orest.* 66 : noster, nata, reatus ; 932 : pœna reatus ; 957 : nullo damnante reatu ; *Sat.* 53 : Culpa quidem gravis est, venia sed digna reatus ; 198 : Occurrit sæpe reatus atrox ; 307 : Non semel ignosci dixit lex sancta reatum. Item *Laud. Dei*, i, 89, 112, 466, 494, 540 ; ii, 246, 313, 400, 419, 556, 598, 699 ; iii, 429, 508, 551, 566, 570. — Apul. *Metam.* 7 ; — Prudent. *Cathem.* xi, 103 ; — Tertull. *advers. Marc.* ii, 15 ; — S. Hieron. *in Ephes.* ii *ad* 38 *sqq.* ; *contra Pelag.* i, 33 ; *Epist.* xiv, 9. Cf. Goelzer, op. cit. p. 271. — Hinc

Reus = sons, noxius, *Laud. Dei*, i, 536 : Et reus accusat ; ii, 364, 504, 512 : insontem turba reorum.... affligit ; 528 : effugiunt tormenta reos ; 555 : pœniteat si forte

reos ; 568, 605, 656, 719, etc... *Carm. Min.* v, 50 gaudebat turba reorum, Et veniam meruisse putant ; 93 : non veniam peteret sub sorte reorum ; viii, 41 : nec solus pastor habetur Ex hac lite reus ; x, 231 : Cur homicida vacas et stas rea ? Sed rea non es ; 413 : tu punis post fata reos ; *Orest.* 499 : Non sat erunt quæcumque reis tormenta paratis ; 599, 604 : Ad tumulum patris fundantur membra reorum ; 621, 654, etc., etc. *Sat.* 148, 297, 306 : debet et ipse Parcere ubique reo, etc.

Sapientis ops = sapientia, *Sat.* 168 : non colla poposcit Dum peteret Dominum, sed sapientis opem.

Scena = apparatus, *Laud. Dei*, iii, 620 : Scena capillorum.... omne caput vestit. — In eodem fere sensu adhibetur apud Suet. *Caligul.* 15 : nec minore scena (i. e. apparatu).. . matris fratrisque cineres.... mausoleo intulit.

Somnus = somnium, *Orest.* 709 : diem dubitant somnumque putant. — Enn. ap. Cic. *de Divin.* i, 20.

Thalamus = uxor, *Orest.* 23 (Cf. infra vindex) ; *Carm. Min.* viii, 575 : Amens conspexit sulcari puppibus undas, Et thalamos portare suos. — Verg. *Æn.* vii, 388.

Urna polorum = cælum, *Carm. Min.* ix, 29 : non curant vile sepulchrum..... quos urna polorum Claudit = qui, gloriam adepti, in sublimi cælo sedent.

Venenum = serpens, *Laud. Dei*, ii, 223 : genus omne veneni (apud franco-britann. venin = serpent). Vocatur etiam serpens materies necis, *Laud. Dei*, ii, 227.

Vindex = invasor, *Orest.* 23 : Et thalamis (thalami, ex Rossberg) vindex, thalamo spectante, necatur. — Plaut. *Trin.* iii, 2, 16.

Virtus = vis, efficacia, *Laud. Dei*, i, 330 : (homo) formatur virtute Dei ; ii, 171 : Africus interea motus virtute jubentis. — In *Script. Sacr.* sæpissime legitur virtus Dei, Sapient. vii, 25 ; Eccli. l, 23 ; Dan. iii, 61, etc.... —

S. Hieron. *Contr. Joann.* 34 : vivit virtute Dei. — Cf. Goelzer, op. cit. p. 230.

IV

Abstracta substantiva pro concretis sæpe adhibentur. Hujus generis vocabula etiam ab aureæ latinitatis scriptoribus usitantur, sed frequentius apud Dracontium inveniuntur, cujus sic lingua ad Romanicas linguas accedit :

Ætas mollior = pueri, *Orest.* 370 : Quid mollior ætas Gessit. — Liv. xxvii, 51 : omnis ætas currere obvii.

Amor = homo amatus, *Carm. Min.* ii, 118 : Hylas rapiatur in undas Ut sit noster amor. — Hinc *Carm. Min.* vii, 66 : Cantitet hoc veteranus amor, h. e. veteres amati. — In hoc sensu a Plauto adhibentur amores, *Poen.* i, 1, 79, et a Catull. *de Varri Scorto*, 10.

Cognatio = cognati, *Orest.* 968 : Cognatio juncta precatur. — Cic. *Fragment.* ap. Quintil. viii, 3. — Plin. *Hist. Nat.* xxxv, 10 ; xxxvi, 8 et 11 ; xl, 30 ; Cf. Goelzer, *ibidem.*

Conjugium = uxor vel maritus, *Laud. Dei*, i, 365 : Conjugium se quisque vocet. — Plin. *Hist. Nat.* viii, 23, 35 ; ix, 8, 7. — Tacit. *Ann.* xii, 65. — S. Hieron. *Epist.* xxii, 21 (Cf. Goelzer, op. cit. p. 395).

Connubium = conjux, *Carm. Min.* viii, 463 : Connubium spondent præfulgens ore decoro Idaliæ volucres.

Egestas = egens, pauper, *Laud. Dei*, iii, 53 : Divitis exstincti tormenta exspectat egestas.

Feritas = fera, *Carm. Min.* viii, 579 : elisa feritas pietate parentis Raptoris sectatur iter.

Funus = cadaver. Invenitur in eodem sensu apud classi-

cos poetas, Cf. Verg. *Æn.* IX, 490 ; — Propert. I, 17, 8 ; sed sæpissime apud Dracontium ; in uno enim eodemque carmine, hanc vocem septies usurpare non dubitat, *Carm. Min.* IX, 24 : membra putrentis Funeris ; 34 : spectant funera pœnas ; 118 : nec funus amat sub sole jacere ; 145, 176, 188, 231 ; X, 437 ; *Laud. Dei*, III, 399, 503.

HONESTAS = homines honesti, *Orest.* 965 : Vos pietas miseranda rogat, vos mitis honestas ; *Laud. Dei*, III, 343 : pondus ditionis honestas Extimuit.

HOSPITIUM = hospes, *Carm. Min.* VIII, 446 : hospitio speratus eat.

INFANTIA = infantes, *Laud. Dei*, I, 386 : Et sine lacte pio fit mox infantia pubes (quidam legunt crescit, sed Cod. Vatic. (**U**) fert « fit mox ». Cf. ed. Mign. in nota ; ita etiam Centones Berolin.). — *Sat.* 223 : Numquid adultorum strepitus infantia simplex Vindicat. — *Carm. Min.* X, 533 : infantia simplex Affectu petit ipsa necem. — Plin. *Hist. Nat.* XXXII, 2, 11.

JUVENTUS et JUVENTA = juvenes, *Carm. Min.* VIII, 237 : Præcipitem frenat monitis per cuncta juventam ; 251 : Trojana juventus ; 316 et 545 : Graia juventus ; Cf. *Orest.* 605. — Cic. *Orat.* III, 24 ; Verg. *Æn.* IX, 226.

LEGATIO = legati, *Carm. Min.* VIII, 259 : postquam legatio Trojæ Sedit ; 429 : legatio sola Defuit ; 586 : legatio Trojam Venerat. — Cæs. *de Bell. Gall.* I, 13 ; II, 35 ; III, 8 ; — Liv. XLV, 13.

MORS = mortuus, *Carm. Min.* IX, 116 : Non sunt commercia juncta Mortibus et superis ; IX, 227 : morti licet illa sepulchrum Comparet. *Laud. Dei*, II, 798 : Innumeras faciunt sine sanguine mortes. — Cf. etiam *Carm. Min.* IX, 96, 229 ; X, 427, 437. — Cic. *Pro Milon.* 32 ; — Propert. II, 10, 22 ; — Plin. *Hist. Nat.* XIV, 19, 23.

NEFAS = homo nefarius, *Carm. Min.* VIII, 165 : macte-

turque nefas. — *Orest.* 719 : Præcipitate nefas solio de principis actum ; 735 : Impune tuum post funera patris Sperasti regnare nefas. — Verg. *Æn.* II, 585.

Origo = auctor, *Laud. Dei*, III, 161 : Cælum possedit origo Sancta prophetarum ; *Sat.* 299 : Inclytus armipotens, vestræ pietatis origo ; *Orest.* 892 : Proceres, legalis origo (i. e. auctores legum). — Tacit. *Germ.* II ; — Stat. *Theb.* I, 680.

Partus = filia, *Carm. Min.* VIII, 497 : Ledæi partus furtim jaculatus amorem Usserat. — Colum. III, 8 ; — Plin. *Hist. Nat.* XX, 14, 52.

Pauperies = pauperes, *Laud. Dei*, II, 767 : forsan spoliamus avari Pauperiem (Cf. supra egestas, p. 15).

Pietas = pater, *Orest.* 54 : Obstipuit pietas ; 65 : Tandem vocis iter pietas reseravit et infit. — Ponitur etiam pro matre, *Orest.* 831 : Impie non sat erat pietatis vulnus acerbum?

Pietas paterna = pii parentes, *Orest.* 391 : natos spoliare rudes pietate paterna (Cf. franco-gallice : un amour d'enfant = un enfant chéri). — Coripp. *Just.* IV, 195 ; — Juvenc. *de Laud. Dom.* 43.

Pietas = homines pii, *Orest.* 965 (Cf. Honestas, p. 16) ; *Sat.* 299 (Cf. supra Origo).

Pignus = filius, *Carm. Min.* VIII, 261 : regis pignus ; item 578 et 584 ; X, 250 : nullumque domi jam pignus habetur ; 323 : sic pignus amas ; item 365, 428, 514 : (coronam) qualem mea pignora sumant ; *Orest.* 84, 245, 289, 312 : regis cum pignore raptas (opes). — *Laud. Dei*, II, 322 : Ante mori genitrix quam nasci pignora cogit ; III, 116, 335 : Quando dolens genitor planctus de pignore fecit. — Sic circiter tricies a Dracontio adhibetur. — Ovid. *Metam.* XI, 542 ; — Stat. *Silv.* II, 1, 86 ; Cf. *Archiv. für lat.* t. VIII, pp. 197-198.

Potentia romana = Romani potentes, *Carm. Min.* v, 108 : Sic sapiens olim Romana potentia jussit. — Ovid. *Amor.* ii, 16, 27 : Neptunum ventosa potentia vincit.

Potestas delphica = Apollo, *Carm. Min.* vi, 4 : Venus alma, potestas Delphica, flammipotens invasit tecta Cupido. — Cf. viii, 181 : Pontifices Helenus, Laucon, sacrata potestas.

Pudor = mulier pudica, *Laud. Dei*, ii, 642 : Fructus honestatis datus est de ventre pudoris.

Rapina = femina rapta, *Carm. Min.* viii, 544 : Tunc Paris alloquitur comitantem prædo rapinam.

Regnum = rex, *Carm. Min.* viii, 288 : Conubium regni ; 482 : Vestibus indutus Tyriis et murice regni ; 118 : Se velit ostendi regni de stirpe creatum (ita ex codice ; Rossberg legit Teucri ; Bæhrens regum). *Orest.* 313 : regni nomen inane Offendit. — Stat. *Theb.* xii, 980 ; — Cic. *ad Attic.* vii, 7.

Rusticitas = rustici, *Carm. Min.* xi, 20 : Rusticitasque deo est gaudens. — Pallad. *de Insit.* i, 31 ; — Impp. Valentin., Val. et Gratian. Cod. i, 55, 3.

Scelus = sceleratus, *Laud. Dei*, ii, 421 : Inter tot scelerum turbas pius unus. — Terent. *Andr.* iii, 5, 1 ; — Plaut. *Bacch.* v, i, 9 ; v, 2, 27 ; *Pers.* ii, 2, 10 ; iv, 9, 16 ; *Truc.* ii, 7, 60.

Senectus = senes, *Carm. Min.* v, 166 : hoc ipsa senectus, Hoc matres puerique rogant ; vii, 66 : reverenda senectus ; viii, 236 : veneranda senectus. *Laud. Dei*, iii, 328 : exsecranda senectus ; *Sat.* 224 : aut fremitus pigra senectus habet ; 229 : gemit et tremebunda senectus. — Item Senecta, *Orest.* 401 : Deliciis epulisque bonis refovete senectam.

Servilis amor = servi fideles, *Orest.* 668 : Audiat hæc servilis amor. — Item veteranus amor = senes amici,

*Carm. Min.* VII, 66 : Cantitet hoc veteranus amor. — Item FAMULARIS AMOR = amantes famuli. *Orest.* 503 : relevare sepultum Debuerat famularis amor.

SIMPLICITAS = homines simplices, *Orest.* 966 : Vos bona simplicitas (rogat).

SOLACIUM = solatrix (transeat verbum) et

ULTIO = ultrix, *Orest.* 138 : Salve, regina Pelasgum, Ultio Dardanidum, captæ solacia Trojæ.

VIRGINITAS = virgines, *Carm. Min.* V, 167 : Virginitas hoc casta petit, hoc pauper adorat ; *Orest.* 11 : Virginitas qua dat de clade salutem.

VOTA = nuptiæ, *Carm. Min.* VII, 9 : Prodere gestirem hæc quæ nunc per vota geruntur ; 138 : Post hæc vota parens quid sit factura Dione ; 157 : elementa ut vota celebrent ; *Sat.* 52 : Perque suas proles regia vota canam. — Apul. *Florid.* 4 ; *Metam.* 4 ; et in compluribus Impp. Honor. et Theodos., Justinian., Constantin. et Const. codic.

Ex tali dicendi genere, constat poeticam linguam latinam ad romanicas linguas accedere, quæ verba abstracta pro concretis libentissime usurpant, dum contra lingua classica latina concreta pro abstractis plerumque adhibet.

## V

## DE DEMINUTIVIS

Multa adhibentur a S. Hieronymo deminutiva, quæ summa cura recensuit Goelzer (op. cit. pp. 120-130). Hæc apud Nostrum sunt notanda :

AGELLUS, *Orest.* 275 : cultor agelli.

Asellus, *Carm. Min.* vii, 38 : Ebrius interea nutet Silenus asello.

Calculus, *Orest.* 300 : Si calculus esset.

Conchula, *Sat.* 74 : Et generat pelagi conchula divitias.

Flabellum, *Laud. Dei*, iii, 635 (Cf. p. 11).

Flagellum, *Laud. Dei*, iii, 595 : jam parce flagello ; *Carm. Min.* x, 159 : fert dextra flagellum.

Flosculus, *Carm. Min.* viii, 493 (Cf. p. 12).

Labellum, *Carm. Min.* vii, 30 : Dispensent hinc inde melos, perflante labello.

Muliercula, *Orest.* 578 : muliercula tristis.

Musculus, *Laud. Dei*, i, 234 : musculus humor erat.

Ocellus, *Laud. Dei*, i, 246 : Albentes aliis pennæ solidantur ocellis.

Osculum, *Carm. Min.* x, 265 : resonabant oscula labris ; *Laud. Dei*, i, 444 : Publica jungebant affectibus oscula passim.

Particula, *Laud. Dei*, i, 374 : valeret demere particulam.

Pupillus, *Laud. Dei*, ii, 754 : viduæ, pupillus et æger.

Rosula, *Laud. Dei*, ii, 441 (Cf. supra p. 5).

Servula, *Orest.* 319 : Et diademales, quas profert servula, capsas.

Ungula, *Sat.* 46 : Ut fieret rediens ungula fissa manus ; 314 : ungula concutiat quadrupedantis equi.

Vernula (adjective sumpt.), *Orest.* 547 : vobiscum vernula turba Sentiet ; 680 : retinet pars vernula portas.

Vexillum, *Laud Dei*, ii, 496 : per vexilla crucis.

## VI

### DE SUBSTANTIVIS ADJECTIVE SUMPTIS

Haud pauca inveniuntur substantiva quæ adjectivorum more usurpantur :

Turba ministra, *Orest.* 613 : quæ turba ministra Credula dum fuerit ; 695 : cognoscit turba ministra Os Agamemnonium. — Cic. *Ep. ad Quint. Fr.* i, 1, 14 ; — Ovid. *Ibis*, 261 ; Heroid. xxi, 114 ; — Lucret. v, 298.

Turba comes, *Carm. Min.* viii, 487 : Cetera turba comes Phrygio succincta decore Fulgebat.

Vernula turba, *Orest.* 547 : vobiscum vernula turba Sentiet. — Mart. v, 18 ; — Rutil. *Itiner.* i, 112 ; — Petron. *Satyr.* 24 ; — Sidon. Apoll. *Epist.* ix, 16.

Pars vernula, *Orest.* 680, (Cf. supra Vernula p. 20.)

Hospes turma, *Carm. Min.* viii, 548 : subnixus it hospite turma.

Catervæ hospites, *Laud. Dei*, iii, 214-215 : catervis Hospitibus cæsis. — Stat. *Theb.* xii, 479 : hospitibus saxis. — Claudian. iv *Consulat. Honor.* 650 : hospes honor ; — Stat. *Silv.* i, 252 : hospes cymba ; — Lucan. v, 11 : hospes curia.

Terra creatrix, *Carm. Min.* iii, 1 : Fructibus apta quidem cunctis est terra creatrix (Baehrens legit creandis). — Verg. *Æn.* viii, 534. — Aurel. Vict. *Epitom.* 40.

Artifex natura, *Carm. Min.* i, 10 : artifex natura rerum quis (queis, quibus) negat concordiam.

Artifices artus, *Orest.* 329 : Mollibus artifices jungens amplexibus artus. — Suet *Vit Calig.* 32 : miles artifex ; Plin. *Hist. Nat.* viii, 16. 21 : artifex ingenium. — Propert. ii, 1, 60.

Alumna manus, *Orest.* 456 : Ibat alumna manus.

Alumnus nuntius, *Carm. Min.* x, 44-45 : Sed Colchus alumnus Nuntius ille redit. — Prudent. *Peristeph.* ix, 31 : moderator alumni gregis. — Cf. Ovid. *Metam.* iv, 421 ; — Stat. *Theb.* viii, 224.

Virgo Vesticola, *Carm. Min.* vii, 22 : Vesticolæ niveos peteret cum virginis artus.

Mercator nauta, *Laud. Dei*, ii, 185 : Sic mare velivolum mercator nauta vagatur.

Græcia victrix, *Carm. Min.* viii, 339 : dominam sibi Græcia victrix, Non famulam quæsivit ovans.

Victricia colla, *Orest.* 145 : Tot scelerum auctores victricia regna tenere. — Sæpe adjectivi more usurpatur victrix, v. g. victricia arma, Verg. *Æn.* viii, 54 ; — Justin. xliv, 5 ; victricia signa, *Lucan.* i, 347 ; victricia fulmina, Ovid. *Metam.* x, 151 ; victricia bella, Stat. *Silv.* v, 2, 150.

Gladius hostis, *Carm. Min.* iv, 36 : Sævos gladius mihi suggerit hostis (ex Bücheler ; in codice falso legitur gladios). — Stat. *Theb.* xi, 22 : hostes turmæ.

Quæsitor avus, *Carm. Min.* ix, 36 : (umbræ) quæsitor quas torquet avus.

Carnifex natus, *Orest.* 148 : Victima carnificis nati post funera patris Mater eris.

Carnifices flammæ, *Carm. Min.* v, 66 : Carnifices flammas proprio satiare cruore (ex Rossberg, *Materialien*, ii, p. 83 ; Baehrens scripsit carnificis lamnas).

Carnifices secures, *Orest.* 721 : Carnifices frangant durissima membra secures (ex Rossberg, *ibid.* ; Baehrens scripsit securi). — De carnifice adjective sumpto Cf. Mart. xi, 84 ; — Sil. Ital. *Punic.* i, 173 ; — Claudian. *de Bell. Cildon.* xv, 178 ; — Arnob. *Disput.* i.

Prædo equus, *Carm. Min.* viii, 581 : vestigia sollers Insequitur prædonis equi. — Ovid. *Fast.* iv, 591 : prædo maritus.

Genitor rex, *Carm. Min.* viii, 234 : Hoc tantum supplex genitor rex, nate, precatur.

Circumscriptor serpens, *Laud. Dei*, i, 480 : Nec circumscriptor serpens impune triumphat. — Tertull. *advers. Marcion.* ii, 7 : circumscriptor coluber.

Dux æstus, *Orest.* 44 : Non quo cursus erat, sed quo dux impulit æstus (sic Baehrens ; Schvabe et Westhoff legunt auster).

Mater anus, *Laud. Dei*, ii, 637 : sit mater anus paritura prophetam.

Tiro dies, *Laud. Dei*, i, 231 : sub tirone die.

Cf. Verg. *Æn.* viii, 314 : indigenæ Fauni ; — Lucan. *Phars.* x, 127 : populus minister ; — S. Hieron. *Epist.* cvi, 20 : seni homini ; — S. Aug. *Serm.* 13 *de Temp.* : ad senem hominem venit. — *In Script. Sacr.* Math. xiii, 45 : homini negotiatori ; 52 : homini patrifamilias ; item xx, 1. — Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, pp. 397-398.

## VII

Raro substantiva simplicia pro compositis adhibet Dracontius ; attamen duo hic sunt notanda :

Facies = superficies, *Laud. Dei*, ii, 452 : Omnia sed passim facies telluris haberet. — *In Script. Sacr.* Genes. i, 14 ; vi, 7 ; vii, 23 ; II Reg. xi, 11 ; xiv, 33 ; xviii, 8 ; Ps. i, 4 ; Ezech. xxix, 5 ; Dan. viii, 5 ; Act. Ap. xvii, 26, etc.

Precatio = imprecatio. *Laud. Dei*, ii, 752 : Quam non impugnat quæcumque precatio tristis.

## VIII

### DE GENERIBUS

De Generibus substantivorum quattuor tantum sunt notanda :

Circlum, i, *Laud. Dei*, ii, 54 : Ac mutent elementa vices per circla morantes. — Legitur circlus ap. Verg. *Georg.* iii, 166 ; sed nusquam circlum.

Gaza, orum, *Orest.* 290 : Resque Agamemnonias et Troica gaza reportans. — Scriptores latini usurpant tantum Gaza, æ, plerumque in singulari numero ; in plurali tamen invenitur apud Horat. *Carm.* i, 29, 1 ; ii, 16, 9 ; — Lucret. ii, 37 ; — Senec. *Phœniss.* 508 ; *Herc. Fur.* 167 ; *Med.* 485. Gazum, i, invenitur apud Commod. *Instruct.* ii, 31, 14 et, post Dracontium, apud Coripp. *de Laud. Justin.* iv, 334. — Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. I, p. 437.

Sericus, i, *Carm. Min.* viii, 617 : carbasa sericus ornat ; x, 160 : tenuis quod sericus ornat ; 258 : sericus ambit Mollis.

Serica, æ, *Laud. Dei*, iii, 55 : Serica quem tenuis, quem mollia lina gravabant. — Invenitur serica, orum, apud Propert. i, 14, 22 ; Martial. xi, 28 ; ix, 38. — Goelzer notat (op. cit. p. 121) sericum, i, apud S. Hieronymum, *in Matth. ad* 6, 28-30 : sericum... potest floribus comparari ; et in *Epist.* lxxix, 9 et cxxx, 4 ; sed nusquam inveni nec sericus, i, nec serica, æ.

Palpebrum, i, *Laud. Dei*, iii, 619 : Et palpebra tegunt luces. — Apud omnes classicos scriptores legitur palpebræ, arum ; attamen Nonius (*de propriet. sermon. lat.* iii, 164)

affirmat suo tempore dici quoque palpebrum. Hinc Cœlius Aurelius, *in Chronic.* II, 1, 5, palpebrum usurpat. — Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. I, p. 447 et p. 550.

## IX

### DE NUMERIS

Pauca substantiva in singulari numero usurpavit Dracontius, quæ apud latinos scriptores in plurali tantum numero fere inveniuntur; plura vero adhibuit in plurali numero, quæ in singulari tantum plerumque usurpantur.

#### In Singulari Numero.

Complura populorum nomina quæ raro in singulari numero adhibentur, *Carm. Min.* v, 34-35 : rapiant simul arma Suevus, Sarmata, Persa, Gothus, Alamannus, Francus, Alanus. — Suevus legitur apud Claudian. IV *consul. Honor.* 655; *in Eutrop.* I, 394 ; Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. I, p. 443. — Sarmata invenitur apud Senec. *Phædr.* 76 ; — Lucan. I, 430 ; — Juvenal. III, 79 ; — Claudian. *Laud. Stilich.* 111. — Cf. Neue, op. cit. (edit. 1875-1877), t. I, p. 35. — Persa, Cf. Neue, *ibid.* p. 34. — Gothus nusquam inveni. — Alamannus adject. Aurel. Vict. *Epist.* 47. — Francus (adjectiv.). S. Hieron. *Vit. Hilar.* 22. — Alanus (adject.). Claudian. *Bel. Get.* 683 : alana gens.

Gena, æ, *Laud. Dei*, I, 395 : gena pulchra rubore. — *Sat.* 228 : sub flore genæ. — Suet. *Vit. Claud.* xv ; — Plin. *Hist. Nat.* XI, 37, 57 ; — et etiam Enn. apud Isid. *Orig.* XI,

1, 109 et apud Serv. *Æn.* VI, 686. — Cf. Neue, op. cit., t. I, p. 447.

PALPEBRUM, I, Cf. supra p. 24.

PROCER, *Laud. Dei*, III, 476 : caput apprensum proceris portavit ad urbem. — Juven. *Sat.* VIII, 26 ; — Capitolin. *Vit. Maxim.* 2. — Cf. Neue, op. cit. (edit. 1875-1877), t. I, pp. 391 et 442.

### In Plurali Numero.

CALOR, *Laud. Dei*, III, 167 : Sed mox tepuere calores. — Verg. *Georg.* II, 270 ; — Horat. *Carm.* III, 24, 37 ; IV, 9, 11 ; — Ovid. *de Art. Am.* I, 237 ; *Metam.* II, 134. — Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. I, p. 433.

MORS, hæc vox in plurali numero a plerisque latinis scriptoribus, sed raro ab unoquoque adhibetur, semel a Verg. *Æn.* X, 854 ; — ab Horat. *Sat.* I, 3, 28 ; — ab Ovid. *Metam.* XI, 538 ; — a Juvenal. I, 144 ; — a Plin. Min. *Epist.* VIII, 16, 1 ; — a Senec. *de Clement.* I, 18, 3 ; — bis a Sil. Ital. *Punic.* IX, 369 ; XIV, 557 ; — ter a Cicer. *de Finib.* II, 30, 97 ; *Tusc.* I, 48, 116 ; *de Nat. Deor.* I, 42, 119 ; — quater a Lucan. VII, 849 ; IX, 705, 734, 860 ; paulo sæpius a Statio, Martial., Tacit., Justin. — Apud Dracontium vero duodevicies saltem legitur, *Carm. Min.* V, 31 : qui turpibus instant Mortibus insontum ; item VIII, 170 ; IX, 96 : corrumpitur aer Mortibus ; 103 : Mortibus et bellum geritur ; 116 : non sunt commercia juncta Mortibus et superis ; X, 8 : cum mortes vitasque facit ; 320 : pœnas mortesque parat ; 427 : Mortibus amborum regem superaddo Creonta ; 457 : dicavit Mortibus impietas ; 581 : Mortibus alternis et mutua fata minantur ; *Orest.* 304 : Mortibus alternis et vitæ damna repensant (Immerito scripsit « cœtibus » Baehrens ; Cf. Rossberg, *Materialien*,

I, p. 37; item Cf. codic. **A**). *Laud. Dei*, I, 280 : mortes lunato dente minatus ; 290 : sparsura graves per sibila mortes ; III, 121 : non cupit insontum mortes ; 304 : nullas mandarent sibila mortes ; 610 : qui reparas antiquis mortibus ossa ; *Sat.* 65 : Aspis habet mortes ; 73 : mortesque parat. — Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. I, p. 421.

Ascensus, *Laud. Dei*, I, 664 : (luna) per ascensus et cornua colligit ignes. — Liv. XXXVI, 24.

Adspectus, *Carm. Min.* IX, 90 : Adspectusque tuos funestant ossa. — Verg. *Æn.* IX, 657.

Conceptus, *Orest.* 563 : Conceptus portare meos. — Senec. *Quæst. Nat.* V, 15 ; — Firmic. *Astronom.* V, 12.

Occasus, *Orest.* 352 : tradere captos Patris in occasus. — Cic. *de Nat. Deor.* II, 37, 95 ; *de Divin.* II, 44, 92 ; — Ovid. *Metam.* II, 190 ; IV, 625 ; — Plin. *Hist. Nat.* II, 15, 12 ; — Stat. *Theb.* I, 686. — Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. I, p. 431.

Proventus, *Orest.* 467 : flammata negabant Numina proventus. — Plin. *Hist. Nat.* XIX, 12, 62, et 5, 24.

Rabies, *Laud. Dei*, III, 204 : Quis, rogo, tam sævas rabies compescere.....

Reatus, *Laud. Dei*, II, 699 : Si peccantes agnoscant corde reatus.

Reditus, *Laud. Dei*, I, 608 : Quorum jam reditus non unquam sperat origo ; 623 : Sed ne sit fixum reditus non esse sepultis. — Horat. *Epod.* XVI, 35 ; — Ovid. *Metam.* XI, 576 ; — Verg. *Æn.* XI, 54.

Temperies, *Sat.* 81 : Sol dat temperies.

Usus, *Laud. Dei*, I, 260 : Vapor urget in usus ; 580 : usibus humanis ; II, 771 : divitis usibus addit ; III, 642 : Usibus officiis aptantur cuncta ministra. — Cic. *de Nat. Deor.* II, 60.

Tandem, in nonnulis substantivis, pluralis numerus pro singulari, aut singularis pro plurali libenter adhibetur. Sic in plurali numero pro singulari sumuntur :

Aqua, *Carm. Min.* II, 32, 33, 124, 127.
Ara, *Ibid.* V, 131, 150, 158, 321 ; *Orest.* 93.
Arena, *Laud. Dei*, III, 291.
Coma, *Carm. Min.* X, 505.
Ira, *Orest.* 102.
Pharetra, *Carm. Min.* X, 170, 183.
Annus, *Orest.* 572.
Rogus, *Laud. Dei*, III, 497.
Thalamus, *Carm. Min.* VIII, 641 ; X, 338, 356,450.
Antrum, *Orest.* 274.
Bellum, *Laud. Dei*, III, 425, 427.
Bustum, *Orest.* 408, 479.
Collum, *Carm. Min.* II, 85, 155 ; IV, 25, 105, 246, 275 ; VIII, 561, 623 ; *Orest.* 214 ; *Laud. Dei*, II, 561 ; III, 325, 616, etc...
Dorsum, *Carm. Min.* X, 170.
Exemplum, *Laud. Dei*, III, 50.
Imperium, *Orest.* 167.
Plectrum, *Ibid.* 274.
Regnum, *Sat.* 166.
Sceptrum, *Sat.* 164.
Tectum, *Orest.* 430.
Venenum, *Carm. Min.* V, 183.
Nox, *Orest.* 457.
Sol, *Sat.* 86.
Tripus, *Orest.* 274.
Cor, *Orest.* 104.
Crimen, *Carm. Min.* X, 333.
Guttur, *Laud. Dei*, I, 638 ; III, 616.
Munus, *Laud. Dei*, II, 574.
Nomen, *Orest.* 77.
Numen, *Orest.* 49.
Pectus, *Carm. Min.* IX, 183.
Adventus, *Orest.* 613.
Æstus, *Laud. Dei*, III, 295.
Cursus, *Sat.* 250.
Tractus, *Laud. Dei*, II, 147, 149.
Glacies, *Laud. Dei*, III, 295.

In singulari pro plurali numero sumuntur :

Penna, *Laud. Dei*, I, 641.
Pluma, *Ibid.* 642.
Supercilium, *Laud. Dei*, III, 622.
Cinis, *Laud. Dei*, I, 662 ; III, 176, 621.
Crimen, *Laud. Dei*, III, 656.
Opus, *Ibid.* 670.

## X

### DE CASIBUS

### DE DECLINATIONE

Ablativum insolentem ter adhibet Dracontius :

Mare = mari, *Orest.* 364 : Et mare cæruleo tumide spu-

mantibus undis; *Ibid.* 369 : Pro Phrygibus pelagus sævit, mare vindice Trojæ. — Invenitur mare pro mari apud Lucret. I, 161 : e mare. — Ovid. *Trist.* v, 2, 20 : pleno de mare; *Pontic.* IV, 6, 46 ; — Plaut. *Rud.* IV, 3, 42, etc. Cf. Neue, op. cit. (edit. 1875-1877), t. I, pp. 229-230.

Secure = securi, *Orest.* 214 : Finde secure caput. — Apul. *Metam.* 8, 30 ; Cf. Neue, *ibid.* pp. 216-217. — Item legitur puppem pro puppim, apud Lucan. II, 545; puppe habent Ovid., Lucan., Valer. Flacc., Stat., Juvenal., Pers. Cf. Neue, *ibid.* pp. 212 sqq.

Neci pro nece contrario modo usurpatur, *Laud. Dei,* II, 532 : Solitus gaudere neci ; *Orest.* 386 : Quos Agamemnonii... triumphi Non mersere neci.

## DE SYNTAXI

### 1) De Nominativo.

Unum tantum est advertendum : cum verbo « pænitet » nomen personæ nominativum accipit, *Sat.* 100 : Si sceleris facti mens rea pæniteat ; 304 : Ni peccata dolens pæniteat sceleris. Hinc verba « piget » et « pudet » adhibentur sine accusativo, *Carm. Min.* VIII, 202 : pudor est voluisse nocere Et non posse tamen ; pigeat jam ; — 206 : Nec pudeat quod pavit oves. — Liv. XXXVI, 22 : Ætolos quoque, si pænitere possint, posse et incolumes esse.

### 2) De Accusativo.

*a*) In quæstione « quo » adhibetur simplex accusativus loco accusativi cum præpositione in, *Carm. Min.* v, 255 : Montis Aventini turba it romana cacumen ; x, 511 : tecta Creontis Venerat ; 887 : ut patriam rediere suam, etc... In vulgari sermone frequens erat hic loquendi mo-

dus, quem poetæ libenter usurparunt, v. g Verg. *Aen.* vi, 638, 695; — Valer. Flacc. *Argon.* iii, 371; — Ovid. *Heroid.* x, 125; — Sil. Ital. *Punic.* xii, 368 ; — Grat. *Cyneget.* 64. — Cf. *Archiv für lat...* t. X, pp. 391 sqq.

*b*) Accusativus limitationis seu relationis nonnunquam adhibetur, *Carm. Min.* ii, 29 : furiet viresque fatescet ; v, 105 : colla nefandus ; 281 : tremibundos palpitat artus ; item *Orest.* 728 et forsan *Carm. Min.* x, 244 (ex Rossberg ; Cf. *Materialien*, ii, p. 84) ; viii, 546 : gladio vestigia nostra minaci (sequaci, ex cod. et Westhoff) ; ix, 41 : Et planctu laniata genas, contusa lacertos. — Attamen nonnunquam accusativi locum ablativus limitationis tenet, v. g. *Carm. Min.* ii, 45 : Venus vultu mutata ; viii, 517 : blanda genis ; ix, 42 : longis respersa comis ; *Orest.* 739 : nudis exerta papillis. Leguntur tandem in eodem versu ablativus et accusativus, *Carm. Min.* viii, 520 : Sic flavis ornata comis, sic longior artus. – Cf. *Archiv für lat...* t. X, p. 212, (ubi loco 250 legi debet 520).

*c*) Quædam verba intransitiva accusativum accipiunt :

Frui, *Orest.* 232 : Commune nefas æquali mente (*fr.-gall.* également) fruuntur. — Lucret. iii, 954 ; — Terent. *Heaut.* ii, 4, 21 ; — Cat. *de Re Rust.* 149. — Hæc est sermonis vulgaris nota propria, Cf. Riemann, op. cit. p. 56, n. 2. — Cf. *Archiv für lat...* t. III, p. 334.

Horrescere, *Carm. Min.* iv, 19 : te in memet pessima conjux Horrescit. — Verg. *Æn.* ii, 694 ; — Val. Flacc. *Argon.* vi, 453 ; Cf. Riemann, op. cit, p. 58 ; *Archiv für lat...* t. I, p. 512.

Indulgere, *Carm. Min.* ii, 7 : mater devota coruscos Indulget vultus. — Terent. *Heaut.* v, 2, 34 ; *Eun.* ii, 1, 16.

Natare, *Carm. Min.* ix, 127 : Nec dabis occisos juvenes Acheronta natare. — Verg. *Georg.* iii, 260. — Martial. xiv, 196. — Ita in sermone vulgari, Cf. Riemann, *ibid.* n. 1.

Obstupescere, *Carm. Min.* i, 15 : cujus ordines profecto semper obstupescimus. — Cassiod. *Variar.* ii, 39 ; Cf. *Archiv für lat...* t. I, p. 510.

Parcere, *Orest.* 600 : Ut sit quæ... Ingerat inferias animam parcentis Orestis. — Cat. *de Re Rust.* 58 ; — Verg. *Æn.* x. 531 ; — Plaut. *Curc.* iii, 1, 10.

Pluere, *Carm. Min.* ii, 23 : Divitias ut tecta pluant ; *Laud. Dei*, i, 63 : calidas pluit imber aquas. — In *Script. Sacr.* Gen. xix, 24 ; Exod. ix, 18 et 23 ; Is. xlv, 8 ; Luc. xvii, 29, etc... Cic. *De Divin.* ii, 27 ; — Liv. iv, 9 ; — Stat. *Theb.* viii, 416 ; — Sedul. *Carm. Pasch.* i, 228 ; iii, 212 — Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 307. — Hinc passive adhibetur pluere, *Carm. Min.* v, 27 : Martia tela pluuntur ; vii, 93 : pluitur tellus sudore furoris. — Apul. *Flor.* 2. — Cf. Neue, *Formenlehre...* t. III, p. 649.

Pulcrescere, *Orest.* 128 : Et lasciva reos pulcrescunt gaudia vultus. — Nullibi nisi apud Dracontium transitive invenitur.

Redundare, *Laud. Dei*, i, 535 : in conjuge facta redundat. — Stat. *Silv.* iv, 3, 71 ; — Tacit. *Hist.* ii, 32.

Tepescere, *Orest.* 583 : sic sensus iners tua corda tepescit ?

Vagari, *Carm. Min.* v, 73 : pelagi rabidos fluctus pirata vagetur ; x, 368 : Quod freta, quod terras sic felix prædo vagatur. *Laud. Dei*, ii, 185 : Et mare velivolum mercator nauta vagatur. — Propert. ii, 21, 21. — Similia sunt « maria ambulare, terras navigare », Cic. *De Finib.* ii, 34 ; et « mille fugit refugitque vias », Verg. *Æn.* xii, 753.

*d*) Hortari cum accusativo rei semel adhibetur, *Orest.* 232 : Conveniens hortor opus. — Justin. *Hist.* xiv, 1 ; — Stat. *Silv.* iii, 5, 21 ; iv, 6, 56 ; v, 1, 120. — Cf. *Archiv für lat.* ... t. XI, pp. 103-104.

*e*) Petere accusativum personæ accipit, *Sat.* 168 : Dum

peteret Dominum. — Plaut. *Curc.* I, 2, 60 ; — Capitol. *Vit. Maximin.* 2 ; *Vit. Pertin.* 3 — S. Hieron. *in Esdr.* III, *ad* 6, 18 sq. — Cf. Goelzer, op. cit. p. 304 ; ita in sermone vulgari. — Immo, duplicem accusativum accipit, *Orest.* 534 : Sed peto Cecropidas vindictam.

3) **De Dativo.**

*a*) In quæstione quo, accusativi loco dativus sæpe adhibetur, *Carm. Min.* II, 4 : Fuderat Idalius gremio se forte parentis ; V, 37 : advena campo Prodeat armatus ; 278 : Et mortes transferre foro ; VII, 87 : stabulisque refertur ; item VIII, 207, 524 ; IX, 66, 201 : Ponto oculis attenta volat ; X, 92 : Phœbus anhelos Oceano demergit equos ; 123 : Cupido Fessulus et gremio matris libratur anhelans ; 140 : tua tela medullis Excipiat ; 237, 468 : ante tamen fluvio corpus mergatur et undis. *Orest.* 46 : præire Mycenis ; 157 : mæsta domo quasi læta redit ; 242 : Qualis erat referens cælo post bella gigantum ; 287 : secumque adduxit Athenis ; 356 : demersit Atridas Fluctibus æquoreis ; 363 : undivagis vestitus fluctibus intrat ; 364 : Et mare cæruleo tumide spumantibus undis Mersus ; 413 : cunctos decedere jussit ab aula, Ac domibus remeare suis ; 456 : Ibat alumna manus tumulis regalibus ; 516 : venit Athenæis mox sedibus ; 592 : quæ te convenit Athenis ; 724 : Dixit et exertum costis immerserat ensem ; 754 : Mox redeunt animo Phrygiæ præsagia vatis ; 803 : sol merserat undis, Oceano stridente, rotas ; 889 : mediis induxit Athenis ; 957 : redux patriæ. *Laud. Dei*, I, 366 ; II, 120, 498, 525, 548 ; III, 611 : ossa Quæ membris rediere suis. — Sic apud poetas et in sermone vulgari. — Cf. Riemann, *Syntaxe latine*, p. 91, Rem. II et III ; Cf. Westhoff, op. cit. p. 15 ; *Archiv für lat...* t. VIII, pp. 69-76.

*b*) Nomen personæ dativum etiam accipit in quæstione

quo. *Carm. Min.* v, 217 : Cum Romanorum Gallis vexilla tulisset. *Orest.* 245 : Pignora naturæ concurrunt dulcia patri. — Invenitur apud classicos scriptores concurrere cum dativo personæ, sed non eumdem habet sensum ; significat enim pugnam inire, congredi. v. g. Verg. *Æn.* I, 493 : audetque viris concurrere virgo. — *Orest.* 506 : cui victor eram regressus ab hoste.

*c*) Dativus adhibetur accusativi loco cum præpositione in, *Orest.* 398 : curventur falcibus enses, i. e. in falces ; Cf. *Archiv. für lat...* t. VIII, p. 62. — Adhibetur loco accusativi cum præpositione ad : Cum manibus tibi vincla levo, *Laud. Dei*, III, 605 [17]. (Cf. Appendic.)

*d*) Genitivi loco usurpatur in hoc loco :

Quid loquar Euhadnen Thebanis ignibus ustam
Et post fata viro, flamma crepitante, sodalem ?

(*Orest.* 442-443.)

Plaut. *Mostell.* v, 2, 32 ; — Mart. XII, 34, 10 ; Cf. *Archiv. für lat...* t. VII, p. 69.

*e*) Complementum verbi « misereor » dativum accipit, *Laud. Dei*, III, 594 : miserere fatenti (fatenti ex centon. Berolin. et ex codice Vat.); *Carm. Min.* x, 504 : miserere tuæ, Deus optime, nepti (nepti ex codice et ex Rossberg, *Materialien*, II, p. 85. — Cf. *Archiv. für lat...* t. III, p. 25). — *Orest.* 744 : miserere parenti (ex Westhoff, *Quæstion. Grammat.* p. 15). — Coripp. *Laud. Just.* II, 402 : miseratus servis ; et in ecclesiastico sermone : miserere nobis. — *In Script. Sacr.* Psalm. LIX, 3 ; Eccli. XII, 3 ; XVI, 10 ; XXXVI, 14, 15 ; Is. XLIX, 15, etc., etc.. Cf. *Archiv für lat...* t. VIII, p. 175. — Idem notat Thielmann in libro Sirach XII, 3, 13 ; XVI, 10 ; XXXVI, 14, 15. Cf. *Archir für lat.*,. t. VIII, p. 554.

*f*) Dativum accipit nomen personæ cum verbo « celare », *Laud. Dei*, I, 130 : Nec celantur ei quæcumque obscura

geruntur. — Corn. Nep. *Vit. Alcib.* 5 : Id Alcibiadi diu celari non potuit. — Paul. Nolan. *Carm.* XVIII, 295; (fr. gall. : cacher quelque chose à quelqu'un).

4) **De Genitivo.**

*a*) Genitivum admittit adjectivum iners, *Laud. Dei*, II, 619 : officii genitoris iners ; III, 150 : iners animi. — Næv. apud Macrob. *Saturn.* VI, 5 : homines belli inertes.

*b*) Genitivum, ablativi loco, admittit ebrius, *Carm. Min.* VII, 1 : Carminis Idalii cuperem nunc ebrius esse.

*c*) Tria participia passiva genitivo conjunguntur ; sed statim animadvertendum duo substantivorum more adhiberi, *Carm. Min.* II, 55 : amata solis ; *Laud. Dei*, II, 547 : genitoris amatus. — Ammian. *Rer. gest.* XXII, 9 : amato Veneris apri dente ferali deleto.

*Carm. Min.* II, 92 : nata fluenti (Cf. infra nata, cap. IV, De Verbo, VIII, c. *Laud. Dei*, III, 214 : Sanguinis humani nunquam satiata. — Ovid. *Metam.* VII, 808 ; — Sil. Ital. *Punic.* IV, 436, et XVI, 603.

5) **De Ablativo.**

*a*) In quæstione « a quo tempore » accusativi loco ablativus ponitur, *Laud. Dei*, III, 626 : ossa senectæ Mortua temporibus multis olimque sepulta.

*b*) In quæstione « ubi » simplex ablativus ponitur, *Carm. Min.* I, 14 : Barbaris qui Romulidas jungis auditorio ; VIII, 423 : (duces) gladios tellure pavent, pelagoque procellas Formidant ; 641 : thalamis ornata sedet ; IX, 26 : corporibus vixisse suis ; 31 : pietas si sancta manebit Pectore belligero ; 59 : Hoc agit et pugnam thalamis exercet adulter ; 64 : quis murus erit post Hectora campo ; 210 : (sit) corde tuo pietas ; X, 190 : tu cælo, Cynthia,

regnas ; 193 : jacet hostia templis ; 563 : toro residens ; *Orest.* 23 : Puppibus Argolicis rex Pergama victa reportans ; 111 : præda venit palmatis puppibus ; 123 : animo versatur ; 243 : (referens) stellata fronte coronam ; 772 : jacet ille loco. *Sat.* 238 : (luna) minuente polis. — Cf. etiam *Carm. Min.* IV, 38, 42 ; V, 146, 277, 284 ; VII, 38, 104, 151 ; VIII, 321, 395, 400, 423, 484, 508, 566, 598, 641 ; IX, 59, 201 ; X, 116, 131, 183, 186, 265, 558 ; *Orest.* 156, 236, 243, 348, 948. — Ita in sermone vulgari, Cf. Riemann, op. cit. p. 130, Rem. — Hunc loquendi modum usurparunt classici poetæ, sed raro, v. g. Horat. *Carm.* III, 5, 1 ; 24, 39 ; *Sat.* I, 5, 10 ; — Ovid. *Metam.* VI, 394 ; — Cf. Plaut. *Mostell.* IV, 1, 22.

*c*) In quæstione « unde » simplex ablativus sine præpositione adhibetur, *Carm. Min.* X, 145 : Risit amor, matrisque sinu se subtrahit alis ; *Orest.* 239 : rex rate descendens ; 476 : Surge velut quondam tumulo surrexit Achilles ; *Laud. Dei*, I, 505-506 : Hic non defossa prodit tellure metalla ; Promittit saxis et non de pulvere gemmas. — Item *Carm. Min.* X, 284 : venatu interea rediens ; Cf. *Carm. Min.* II, 4 ; VIII, 13, 164 ; X, 35 ; *Orest.* 124, 244. — Verg. *Æn.* IV, 491. — Ita in sermone vulgari et poetico, Cf. Riemann, op. cit., p. 119, Rem. IV.

*d*) Post verba passiva, nomen personæ simplicem ablativum accipit, *Carm. Min.* I, 9 : sævo tunc molosso ducitur ; II, 43 : tauro, si jusseris, altera regis Flammetur conjux ; VIII, 146 : Astyanax Danais muro jactatur ab alto ; 296 : (duces) quibus Ilios ingens Victa jacet ; *Orest.* 859 : furia accumbente vetatur ; 862 : tota plangitur aula ; *Laud. Dei*, II, 309 : Ac promissa fides non custoditur amico. — Poetæ et ipse Tacitus in hoc casu nonnunquam dativum usurpant, non simplicem ablativum, v. g. Horat. *Carm.* I, 6, 1 : Scriberis, Vario fortis ; Cf. Riemann, op. cit. p. 86, Rem.

*e*) Complementum adjectivi « immemor » ablativum accipit, *Carm. Min.* VII, 124 : immemores facunda mente. — Item complementum adjectivi « absens », *Carm. Min.* VII, 71 : Cythereæ cantibus absens.

*f*) Forsan addendum est complementum verbi « meminisse » ablativum etiam accipere, *Orest.* 915 : Et meminisse reor primævi temporis annis. — Sic enim scripserunt Schenkl et Baehrens ; sed Rossberg, ex codicibus, annos legit, et jure, meo judicio.

# CAPUT II

## DE ADJECTIVO

### I

Inveniuntur multa adjectiva antehac inusitata, quorum pleraque a posterioris ætatis scriptoribus non sunt usurpata :

Amorifer, *Carm. Min.* vi, 110 : urit amoriferis certantia membra sagittis ; vii, 15 : Armaque amoriferum secum huc vexisse volucrem ; 58 : Jungit amoriferas palmas ; x, 85 : Quærit amoriferum per tota rosaria campum ; 276 : Sensit amoriferum Scythicam fixisse sagittis. — Post Dracont., Fortunat. *Epithal. Sigiberti Regis*, vi, 2 : Torsit amoriferas arcu stridente sagittas.

Blandifluus, *Carm. Min.* vi, 76 : Et rosa blandifluas rutilans nectebat habenas ; viii, 13 : Mollia blandifluo delibans verba palato. — Post Dracont., Fortunat. *Carm.* xi, 10, 10 ; iii, 12, in fin.

Cornipedus, *Carm. Min.* vii, 81 : Orbita cornipedo sequitur quem ducta volatu. — Invenitur cornipes ap. Ovid. *Fast.* ii, 361 ; Verg. *Æn.* vi, 591 ; vii, 779 ; Sil. Ital. *Punic.* xiii, 338 ; Claudian. *Fescenn.* 11. Du Cange indicat cornipedare et cornipeta, sed non cornipedus.

Coruscalis, *Orest.* 244 : Atque coruscales fundebant vertice flammas. — Cf. Coruscatio, Goelzer, *S. Jérôme*, p. 66. — Rothmaler et Rossberg scripserunt coruscantes, ex *Laud. Dei*, ii, 487 : plusque coruscantes flammas...

Addunt insuper adjectiva in — alis ex substantivis plerumque venire. Respondendum videtur *a*) in omnibus codicibus legi coruscalis : *b*) hoc adjectivum ex substantivo coruscatio componi posse, ut, v. g. conformalis ex conformatio, seminalis ex seminatio, sacrificalis ex sacrificatio, terminalis ex terminatio, etc... — Claudian. Coruscans adhibuit, *de Consul. Honor.* III, 29.

CUNCTIPATENS, *Laud. Dei*, II, 65 : Vivida, cunctipatens, mens innumerabilis... —Invenitur cunctipotens apud Prudent. *Peristeph.* VII, 56, et cunctiparens, *ibid.* XI, 128 ; sud nusquam cunctipatens.

DIADEMALIS, *Orest.* 260 : Ac diademalem frangit cum vertice frontem ; 319 : Et diademales profert quas servula capsas ; *Sat.* 33 : Et diademalem... — Post Dracontium, Theodulf. (sæculo IX), III, 15. — Legitur diademaliter in *Actis SS.* April. t. II, p. 734, de S. Wernhero martyre.

DOCTILOQUAX, *Sat.* 61 : Littera doctiloquax apibus cognata refertur. — Post Dracontium, Fortunat. VII, 26, 1. — Cf. magniloquax, Goelzer, op. cit., pp. 168-169.

DULCIFLUUS, *Laud. Dei*, I, 164 : Pars data dulcifluis undantis fontibus agri. — Invenitur dulciflue, ait du Cange, in veteri oratione.

MACULABILIS, *Laud. Dei*, I, 128 : Deus nunquam maculabilis auctor. — *Acta S. Adalberti*, t. IV, Junii, p. 35 : Ob hoc maculabile. — Cf. culpabilis, Goelzer, *ibid.* p. 135.

MUSAGENES, *Carm. Min.* VIII, 23 : quidquid contempsit uterque Scribere Musagenes. — Cf. primigenes apud S. Hieron. Goelzer, op. cit. p. 225.

NEBRIDUS, *Sat.* 272 : Et rapiunt aquilæ nebrida membra pedes. — Legitur nebris apud Stat. *Theb.* II, 664, et *Achill.* I, 609 ; — Claudian. *de IV Consulat. Honor.* 605 ; — et Serv. ap. Verg. *Georg.* IV, 342.

ORBATRIX, *Laud. Dei*, III, 327 : (secures) Civibus hostiles

orbatricesque suorum. — Legitur orbator apud Ovid. *Metam.* XIII, 500.

PECTOREUS, *Orest.* 567 : Flumine pectoreo dedit ubera lactea labris.

PLANCTIGER, *Orest.* 118 : Publica planctigeris exsecrans gaudia votis. — Cf. *Archiv für lat...* t. III, p. 497 : « Aber die Handschriften haben plantigeris oder plantigeneris. »

PLECTRIFER, *Carm. Min.* x, 285 : Plectriferi germana dei ; item *Orest.* 86. — Quidam legunt plectriger, Cf. *Archiv. für lat...* t. VI, pp. 441-442. — Legitur plectripotens apud Sidon. Apollin. *Epist.* IX, 13.

RELOQUAX, *Carm. Min.* VII, 13 : (Cupido) tacitus reloquax, furtivus et audax.

SOMNIGER, *Orest.* 805 : Roscida somnigerum revocabat palla soporem. — *Laud. Dei,* I, 212 : Candida somnigeris collustrat cornibus axes. — Legitur somnifer apud Plin. *Hist. Nat.* XVIII, 25, 61 ; — Ovid. *Metam.* I, 671, et IX, 693 ; — Lucan. *Pharsal.* IX, 701 et 815.

UNDIFLUUS, *Laud. Dei,* I, 607 : Quis neget undifluos procedere fontibus amnes. — Legitur undabundus apud A. Gell. II, 30.

## II

Plura adhuc adhibentur adjectiva quæ raro leguntur apud latinos scriptores :

APOSTOLICUS, *Laud. Dei*, III, 217 : Petrus apostolico digne subnixus honore. — Tertull. *Præscript. advers. Hæret*. 32 ; — Prudent. *Hamart.* 524.

ARISTATUS, *Laud. Dei*, II, 219 : Messis aristatas acuit

per culmina fruges. — Fest. grammat. (III° sæcul.) *de Verborum significatione*, in *Restibilis*.

ASTRIGER, *Carm. Min.* x, 11 : Possidet astrigerum funesto pectore cælum. — Stat. *Theb.* x, 828 ; — Claudian. *Bell. Get.* 245.

BELLIPOTENS, *Orest.* 27 : Martia bellipotens referebat classica princeps. Verg. *Æn.* XI, 8 ; — Stat. *Theb.* II, 715 ; Val. Flacc. *Argon.* I, 529.

BELLISONUS, *Orest.* 634 : Classica bellisonis quatiens clangoribus aeris. — Paulin. Nolan. *Natal. S. Felicis*, 8.

COMPLEX, *Orest.* 678 : solis rescire negatur Complicibus scelerum ; 758 : Qui scelerum complex, et nostri criminis auctor. — Ambros. *Offic.* III, 4 ; — Prudent. *Hamart.* 614 ; Sidon. Apoll. *Epist.* VIII, 11.

CUPIDINEUS, *Carm. Min.* x, 148 : nec sustinet ignes Luna cupidineos. — Ovid. *Trist.* IV, 10, 65 ; *Rem. Amor.* 157 ; — Martial. VII, 87.

DECENNALIS, *Orest.* 507 : Erro decennalis fraternique ultor amoris. — Ammian. *Rer. gest.* XV, 12 ; — S. Hieron. *adv. Jovin.* I, 48 ; *in Ezech. hom.* 8. — S. Aug. *contra Parmen.* II, 2, 4 ; — Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 144.

FLAMMIGER, *Carm. Min.* x, 112 : flammigero surgente Deo. — Val. Flacc. V, 582 ; — Lucan. I, 415 ; — Stat. *Theb.* VIII, 676. — Avien. *Phænom.* 972.

FLAMMIPOTENS, *Laud. Dei*, III, 386 : Scævola flammipotens dextram contemnere dignus. — Arnob. *Disput.* 3.

FLORICOMUS, *Carm. Min.* XIII, 11 : floricomis gaudet lasciva metallis. — Auson. *Epist.* IV, 49.

FLUCTIVAGUS, *Orest.* 43 : Candida fluctivagi tendebant carbasa venti. — Stat. *Silv.* III, 1, 84 ; *Theb.* I, 271.

IGNIPOTENS, *Carm. Min.* x. 150 : Hoc, ait ignipotens, telo Medea crematur ; 209 : Audiit ignipotens. — Verg. *Æn.* VIII, 709 ; XII, 90.

Impunis, *Orest.* 952 : Non erat impunis Paris, arbiter ille dearum. — Solin. (iii° sæcul.) *Rer. mirabil.* xxvii. — Ab Ovidio (*Metam.* xi, 67) et Tacito (*Annal.* iii, 70) in neutro genere tantum usurpatur.

Mellifluus, *Carm. Min.* ix, 207 : mellifluis adjungens oscula labris. — Avien. *Perieg.* 468 ; — Vet. poet. apud S. August. *de Music.* iii, 7 ; et, post Dracontium, Boeth. *metr.* v, 2.

Minervalis, *Orest.* 33 : Atque Minervali dona addicebat Athenæ. — Tertull. *de Spect.* xi ; — S. Hieron. 3 *in ep. ad Ephes.* 6, 4 ; — *Corpus Inscript. latin.* t. ix [$388_{3.8}$].

Mollificus, *Carm. Min.* vii, 11 : Agmine mollifico ducens sobolesque choreas. — Cœl. Aurel. *Chronic.* iv, 1.

Naviger, *Laud. Dei*, i, 149 : Et mare navigerum quatitur spumantibus undis. — Lucret. i, 3 ; — Martial. xii, 99 ; — Plin. *Hist. Nat.* ix, 30, 49.

Oblativus, *Carm. Min.* viii, 462 : Te oblativa petunt avium responsa. — Serv. in *Æn.* vi, 190 ; — Symmach. *Epist.* x, 43.

Passibilis, *Laud. Dei*, ii, 81 : figura passibilis, mortalis homo. — In *Script Sacr.* Act. Apost. xxvi, 23 ; S. Jacob. epist. v, 17. — Arnob. *Disput.* 7 ; — Tertull. *advers. Praxeam*, 29 ; — Prudent. *Apoth.* 74 ; — S. Hieron. *Epist.* c, 11 ; — Cf. Goelzer, op. cit. p. 137.

Pereger, *Carm. Min.* ix, 47 : quæque peregris Femina bella dedit. — Ulp. *Regular.* tit. 17. — Auson. *Epist.* 17. — Venant. *Carm.* x, 14.

Plectibilis, *Orest.* 426 : fuerat post Pergama capta Verbero plectibilis. — *Laud. Dei*, ii, 269 : temnimus actu Plectibili ; 455 : At nunc plectibiles humanæ mentis ubique Dulcia subducunt mores ; forsan *Orest.* 229 : Impete plectibili per rustica colla pependit (ita ex Rossberg, *Mate-*

*rialien*, I, p. 28). — Plaut. *Bacch.* I, 1, 37; — Prudent. *Apoth. præfat.* II, 36.

Quirinus, *Laud. Dei*, III, 254 : Historias currant Danaum gentisque Quirinæ. — Propert. IV, 10, 11. — Ovid. *Metam.* XIV, 836 ; — Horat. *Carm.* I, 2, 46, sed ibi multi legunt quirini, non quirino.

Reprobus, *Orest.* 7 : reprobæ pietatis Oresten. — Ulp. *Dig.* XIII, 7, 24. — In *Script. Sacr.* I Reg. XV, 9 ; Eccli. IX, 11 ; Jerem. VI, 30 ; II Ep. ad Corinth. XIII, 5, 6, etc...

Russeus, *Orest.* 941 : nam mortem russeus (calculus) urget. — Lucret. IV, 73 ; — Petron. *Satyr.* 27 ; — Pallad. *de Re rust.* IV, 13.

Soligenes, *Carm. Min.* X, 104 : Phœnix soligenes, senio lassata vetusto. — Val. Flacc. *Argon.* V, 317. — Cf. Musagenes, p. 38.

Undisonus, *Laud. Dei*, I, 350 : Quattuor undisonas stringenti gurgite ripas. — Val. Flacc. *Argon.* I, 364. — Stat. *Achill.* I, 198.

Undivagus, *Orest.* 363 : Undivagis vestitus fluctibus intrat. — Vet. poet. in *Anthol. lat.* Burm. t. II, p. 303. — Coripp. *Johann. seu de Bell. Lyb.* VI, 343 ; VIII, 344.

Venialis, *Laud. Dei*, II, 559 : Credidit infelix nihil jam veniale mereri. — Macrob. *Saturn.* VII, 16. — Ammian. *Rer. gest.* XXVIII, 5. — Sidon. Apoll. *Epist.* VIII, 11 ; — et apud ecclesiast. scriptores.

## III

Pauca adjectiva singularem habent apud Dracontium significationem :

Angelicus = ad angelos pertinens, *Laud. Dei*, II, 679 :

Angelico senior monitus sermone repente. — In *Script. Sacr.* Judic. XIII, 6. — Prudent. *Apotheos.* 47, 532, et apud omnes ecclesiast. scriptores.

Animosus = clarus, insignis, *Laud. Dei*, III, 254 : (Græcorum ac Romanorum) Mentibus infectis animosæ cladis amore.

Beatus = sanctus, *Laud. Dei*, I, 11 et ideo

Miser = peccator, *ibid.* : Et pia vota Dei miseris hinc, inde beatis. In *Script. Sacr.* Apocal. XXII, 14 ; et frequenter apud ecclesiast. scriptores.

Cœlestis = divinus, non translate, sed absolute, *Laud. Dei*, I, 338, et II, 236 : cælestis imago = imago Dei ; *Sat.* 153 : cælestia jura = Dei jura. — In *Script. Sacr.* Matth. V, 48 ; VI, 14, 26 ; Act. Apost. XXVI, 19, etc.

Gentilis = quicumque christianus aut Judæus religione non est, *Laud. Dei*, II, 579 : Gentilesque deos et cordibus idola pellant. — Sæpe in *Script. Sacr.* Tob. I, 12 ; Marc. VII, 26 ; Joann. XII, 20 ; Act. Apost. XIV, 5, etc.. — S. Hieron. *Epist.* XXII, 30 ; — Prudent. *Peristeph.* X, 464 ; *in Symmach.* I, 576 ; — Isid. *Etymol.* VIII, 10. — Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 233 (sic fr. gall. la vocation des Gentils).

Jugalis = uxor, maritus, *Laud. Dei*, I, 407 : Et de prole novos iterum copulate jugales ; *Carm. Min.* X, 270 : Ecce triumphantes ingratia dura jugales Consequitur ; *Orest.* 247 : Lumina volvebat genitor visura jugalem. — Post Dracont. in eodem sensu usurpatur a Venant. *Carm.* VI, 2, 76.

Mundanus = mundi incola, homo, *Laud. Dei*, I, 559 : Mors mundanorum requies est certa laborum. — Cic. *Tuscul.* V, 37.

Mysticus = minister, *Carm. Min.* VII, 113 : Latialis mysticus aulæ ; item mystica = ministra, *Orest.* 59 : Mys-

tica continuo sumptum vas igne replevit ; *Carm. Min.* x, 195 : mystica nutrix.

Perpes = perpetuus, *Laud. Dei*, ii, 63 : (mens Dei) pia, provida, perpes ; 498 : Exsilio trusere gravi sub perpete culpa ; iii, 66 : Quæ sine fine manent, et stant sub perpete nexu ; 73 : Si tales damnare licet sub perpete pœna ; *Sat.* 250 : Amittunt cursus perpete lege poli. — Plaut. *Amph.* i, 1, 124 ; ii, 2, 100 ; *Truc.* ii, 2, 23 ; — Prudent. *Peristeph.* x, 470 et 477. — Apul. *Flor.* 17 ; — Sedul. *Carm. Pasch.* v, 36 ; — Tertull. *Apol.* 18 ; — Minuc. Fel. xi, 5 ; — Cf. *Archiv für lat...* t. VII, p. 475. — Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. II, p. 96.

Quantus = quot, *Carm. Min.* viii, 630 : (Mors) quantas per bella nurus viduare parata. — Stat. *Silv.* iv, 3, 49 ; — Cf. Goelzer, op. cit. pp. 413-414.

Redux = repetitus, *Sat.* 274 : Nec reduces morsus dat feritate pia.

## IV

Adjectivorum deminutiva supervacanea nonnunquam inveniuntur :

Credulus, *Laud. Dei*, i, 466 : credula corda ; ii, 657 : reus... credulus ; 674 : plena fides et credula ; iii, 247 : (homo) non credulus ; *Orest.* 614 : turba ministra Credula dum fuerit.

Fessulus, *Carm. Min.* x, 123 : venit ecce Cupido Fessulus.

Garrulus, *Orest.* 579 : Aspiciat mæchum quæ garrula vidit Atriden (ita ex codic. et Rossberg. Cf. *Materialien*, ii, p. 68 ; Baehrens legit gaudens).

Parvulus, *Laud. Dei*, i, 620 : (propago) quam parvula fudit origo ; *Carm. Min.* ix, 175 : parvulus optat Ire ; iv, 25 : compressi parvulus ambos.

Pendulus, *Laud. Dei*, i, 196 : pendula poma ; 701 : (terra) pendula ; ii, 6 : pendula sidera ; 347 : pendula tellus.

Pusillus, *Orest.* 384 : Eximii proceres Danaum, populique pusilli.

Stridulus, *Carm. Min.* x, 222 : stridula tela.

Tremulus, *Laud. Dei*, ii, 6 : tremula sidera ; *Orest.* 458 : tremulis ululatibus ; 594 : tremulis hæc vocibus astra lacessens.

Turgidulus, *Carm. Min.* xi, 4 : cortice turgidulo (1).

## V

Plurima adjectiva substantivorum more usurpantur :

*a*) **In masculino genere :**

Æger, *Laud. Dei*, ii, 754 : viduæ, pupillus et æger. — Cic. *de Divin.* ii, 3 ; de *Nat. Deor.* ii, 4 ; — Lucret. v, 172 ; — Plaut. *Amph.* ii, 2, 11. — In *Script. Sacr.* Marc. vi, 13 ; xvi, 18 ; Act. Apost. v, 16.

Æternus, *Laud. Dei*, ii, 515 : (turba reorum) limina mortis Ingerit æterno.

Antiqui, *Carm. Min.* i, 1 : Antiquorum litteræ. — Horat. *Sat.* i, 4, 117 ; ii, 2, 89. — In *Script. Sacr.* Job xii, 12 ; xv, 10 ; Prov. viii, 23 ; Eccli. xxxix, 1.

Armipotens, *Sat.* 299 : Inclytus armipotens.

Audax, *Carm. Min.* v, 91 : Quando fugax præsumptor

(1) De adjectivorum deminutivis apud S. Hieron. Cf. Goelzer, op. cit., pp. 157-158 ; apud Ciceronem, Cf. Hild, op. cit., p. 31.

erit aut docilis audax. — In *Script. Sacr.* Eccli. VIII, 18, 19; XXII, 5.

Avarus, *Carm. Min.* VIII, 186 : Et genus ingratum pœnas persolvat avari. — Cic. *Parad.* VI, in fine. — S. Hieron. *ad Paulin.* 153; — In *Script. Sacr.* Eccle. v, 9; Eccli. x, 9; I Corinth. v, 10, 11; VI, 10.

Beati, *Laud. Dei*, I, 11 (Cf. supra p. 43, Beatus); II, 150: infundens sermone beatis. — Sæpe apud ecclesiast. scriptores.

Biformes, *Carm. Min.* VII, 322 : Et torvos exercet in arma biformes.

Boni, *Carm. Min.* v, 104: ni mortibus effert Ille bonos; *Orest.* 573 : Immemor existam tantorum in matre bonorum. — Sæpe apud latinos scriptores, v. g. Horat. *Epist.* I, 16, 52; *Carm.* IV, 4, 29. — Sæpe etiam in *Script. Sacr.* v. g. Prov. XIII, 22; XIV, 19; Eccli. XI, 15, etc...

Cani, *Carm. Min.* VIII, 589 : albentes immundat sanguine canos. — Cic. *de Senect.* 18; — Ovid. *Metam.* VIII, 9.

Captivus, *Sat.* 122 : Captivosque tuos deliciis epulas; 127: captivus securus agit; *Carm. Min.* v, 163; VII, 25; x, 251. — Sæpe apud latinos scriptores, v. g. Plaut. « Captivi ». — Cic. *de Nat. Deor.* III, 33; et sæpe in *Script. Sacr.*

Clemens, *Laud. Dei*, II, 806: Quid ferus aut mitis, quid clemens, quidve cruentus.

Complex, *Orest.* 678 (Cf. supra p. 40).

Consors, *Laud. Dei*, II, 68: Et consors cum Patre manens; 547 : consors genitoris amatus; *Carm. Min.* VIII, 283: consortem sanguinis unam. — Sæpe apud latin. scriptores, v. g. Lucan. I, 93 : omnisque potestas Impatiens consortis erit.

Cruentus, *Laud. Dei*, II, 806 (Cf. supra Clemens); III, 148: Debuerat proferre simul feritate cruentos.

Dapsilis, *Laud. Dei*, ii, 807 : Quid..... Dapsilis et largus, quid prædo aut raptor avarus.

Debiles, *Laud. Dei*, i, 728 : (Deus est) Debilibus virtus, opulentia major egenis. — In *Script. Sacr.* Luc. xiv, 13, 21 ; Matth. xv, 30, etc.

Dives, *Laud. Dei*, ii, 770 : Jam modo dives eget ; iii, 50 : nos exempla docent damnati divitis ; 53 : Divitis exstincti tormenta exspectat egestas ; *Carm. Min.* v, 53 : dignus quem dives amaret ; 59 : supplex inimicus et hostis Divitis arguitur pauper ; 67 : pro divite pœnas Si patitur ; 85, 87, 95, 107, 169, 172, 180, 186, etc... — Ovid. *Amor.* iii, 7, 50 ; — in *Script. Sacr.* Matth. xix, 23 : dives difficile intrabit in regnum cælorum ; Ruth iii, 10 ; Job xxvii, 16 ; Psalm. xxxiii, 11, etc.

Docti, *Laud. Dei*, ii, 145 : Et simul indociles doctosque audire moneret. — In *Script. Sacr.* Eccle. ii, 16 ; ix, 11 ; Dan. xi, 33 ; xii, 3, 10.

Egeni, *Laud. Dei*, i, 728 (Cf. supra Debiles) ; iii, 76 : Cujus facta gemens plangit spoliatus egenus. — *Carm. Min.* vi, 88 : Hæc inopes dotare solet, vel pascere egenos. — Sæpe in *Sacr. Script.* v. g. Isa. xli, 17 ; lviii, 7 ; Jerem. xxii, 16 ; Ezech. xvi, 49 ; xviii, 12, etc...

Exanimes, *Laud. Dei*, ii, 120 : Novit et exanimes iterum revocare saluti.

Ferus, *Laud. Dei*, ii, 806 (Cf. supra Clemens, p. 46). — Nonnunquam a poetis substantivi more usurpatur, sed ut fera, v. g. Verg. *Æn.* ii, 51, et vii, 489. — In *Script. Sacr.* Psalm. lxxix, 14.

Fortis, *Carm. Min.* v, 171 : fortem timidus formidat et horret ; 172 : Non fortis lassum metuit, nec dives egentem ; 286 : Sic decet ut fortis lassos, ut dives egentes Cives civis amet. — Cic. *Tusc.* ii, 4 ; *de Finib.* iii, 4 ; — Terent. *Phorm.* i, 4, 26 ; — Horat. *Carm.* iv, 4,29 : fortes creantur

fortibus et bonis. — Sæpissime in *Script. Sacr.* v. g. Is. xxiii, 11 ; liii, 12 ; Marc. iii, 27 ; Luc. xi, 21, etc.

Honesti, *Carm. Min.* v, 199 : Non opus est lædatur, ais, nec lædat honestos. — Quintil. *Instit. Orat.* i, 1 ; — sed multo sæpius in neutro genere adhibetur ut honestas, v. g. Cic. *de Offic.* i, 5.

Humilis, *Laud. Dei*, ii, 722 : Erigis oppressos humiles, sternisque superbos ; 805 : Quid pius, aut humilis, quid et impius, atque superbus. — Sæpe in *Script. Sacr.* v. g. Am. ii, 7 ; Luc. i, 52 ; II Corinth. vii, 6 ; Jacob. iv, 6, etc.

Ignipotens, *Carm. Min.* x, 150 et 209 (Cf. supra p. 40).

Ignotus, *Sat.* 84 : Culpa mihi fuerat dominos reticere modestos, Ignotumque mihi scribere nec dominum. — Phædr. i, 11 ; — Corn. Nep. *Agesil.* 8 ; — Cic. *ad Famil.* v, 12 ; — Quintil. *Declam.* vi, 2.

Immites, *Laud Dei*, iii, 147 : immites qui gaudent sanguine fuso.

Impius, *Laud. Dei*, ii, 805 (Cf. supra Humilis) ; *Sat.* 70 : Impius inde nocet ; rusticus inde placet. — Cic. *in Calp. Pis.* 20 ; — Catull. xiv, 6 ; — sæpissime in *Script. Sacr.* v. g. Eccli. ix, 17 ; xii, 4, 6, 7 ; xvi, 5 ; xxii, 5, etc.

Incautus, *Laud. Dei*, i, 106 : Incautum graviori pondere frangens.

Indociles, *Laud. Dei*, ii, 145 (Cf. supra Docti, p. 47).

Iners, *Orest.* 191 : Semper iners securus agit. Cf. supra p. 46 : captivus securus agit.

Infamis, *Orest.* 423 : hos formido jubebat Infami parere bonos.

Inferni, *Carm. Min.* ix, 226 : Dum tamen infernis requies detur, et bona vivis ; *Laud. Dei*, ii, 704 : Faucibus inferni raptas inducere formas. — Varro, ap. Non. iv, 226 ; — in *Script. Sacr.* ad Pilipp. ii, 10 ; Apocal. vi, 8, et sæpissime ; — Cf. Gœlzer, *S. Jérôme*, p. 109.

Iniquus, *Laud. Dei*, II, 466 : purgare potest quod gessit iniquus. — Cic. *Pro Planc.* 16 : iniquos meos, et 23 ; *ad Famil.* XI, 27. — Sæpe in *Script. Sacr.* v. g. Psalm. x, 3 ; LXIV, 4 ; LXXIV, 5 ; CXVIII, 85 ; Luc. XXII, 37, etc.

Injusti, *Sat.* 294 : Si justis solem Dominus pluviasque dedisset, Nec daret injustis. — Sæpe in *Script. Sacr.* v. g. Psalm. v, 6 ; XXXV, 2 ; XXXVI, 28, 38 ; Sap. IV, 10 ; Matth. v, 45, etc... — Injustum substantive ab Horatio adhibetur, *Sat.* I, 3, 111 : Jura inventa metu injusti.

Inopes, *Laud. Dei*, II, 748 : Texerit et nudos, inopes defenderit ; *Carm. Min.* v, 190 : Et prostratus inops mactabitur : VI, 88 (Cf. Egeni, p. 47). — Liv. IX, 1 : nihil cum potentiore juris humani relinquitur inopi. — Phædr. I, 24. — Sæpe in *Script. Sacr.* Psalm. XI, 6 ; XIII, 6 ; XXXIV, 10 ; XXXVI, 14, etc...

Insons, *Laud. Dei*, II, 504 : perdat Insontem, sanctum ; 512 : insontem turba reorum Supplicio affligit ; 713 : turbata repente Mens insontis erit ; III, 121 : Non cupit insontum mortes vitasque nocentum ; *Sat.* 282 : Ecce etiam insontes noxia pœna petit ; *Carm. Min.* v, 52, 287 ; VIII, 153, 170 ; x, 544 (Cf. infra nocentes); *Orest.* 10, 361. — In *Script. Sacr.* Exod. XXIII, 7 ; Num. XXXV, 33 ; Prov. I, 11.

Jugales (Cf. supra p. 43).

Justi, *Laud. Dei*, II, 734 : Qui dedit elysios justis et tartara pravis ; 803 : quid justi vita meretur. — In *Script. Sacr.* sæpissime, v. g. ad Hebr. x, 38 : justus autem meus ex fide vivit. — Apud latin. script. justum sæpe usurpatur ut jus, v. g. Cic. *de Leg.* II, 5.

Largus, *Laud. Dei*, II, 807 (Cf. Dapsilis, p. 47).

Lassus, *Carm. Min.* v, 172 et 286 (Cf. Fortis, p. 47). — Ovid. *Amor.* III, 11, 8. — In *Script. Sacr.* Isai. XXVIII, 12 ; XL, 29 ; Jerem. *Thren.* v, 5.

Mali, *Laud. Dei*, ii, 708 : Et poteras servare malos ; ii, 681 : Et grates exceptus agam de fasce malorum. — In *Script. Sacr.* sæpe, v. g. Matth. xiii, 49 : separabunt malos de medio justorum ; xxi, 40 : malos male perdet, etc...

Miseri, *Laud. Dei*, i, 11 (Cf. p. 43) ; 729 : (Deus) auxilium miseris ; ii, 757 : miseris alimenta ministrans ; iii, 46 : contingit miseris ; 67 : Et miser hic, qui dives erat... ; 515 : miseros incassum orare coegit; *Sat.* 119 : da dextram misero ; *Carm. Min.* iv, 19 : misero tu semper causa pericli es ; 39 : miseri tandem succurre periclis ; v, 101 : Si jugulet miseros ; 197 : Novit et in miseros semper stimulare potentes ; viii, 305 ; *Orest.* 280. — In *Script. Sacr.* II Mach. iv, 47.

Mitis, *Laud. Dei*, ii, 805 (Cf. supra Clemens, p. 46). — In *Script. Sacr.* Psalm. xxiv, 9 : docebit mites vias suas ; Matth. v, 4 : Beati mites.

Modesti, *Carm. Min.* v, 104 : servare pios, servare modestos Debuerat.

Mundani, *Laud. Dei*, i, 559 (Cf. supra p. 43).

Mysticus, *Carm. Min.* vii, 113 (Cf. supra p. 43).

Nudi, *Laud. Dei*, ii, 748 (Cf. supra Inopes, p. 49).

Omnipotens = Deus (Cf. supra p. 10).

Opulenti, *Laud. Dei*, ii, 726 : Paupertate jubes opulentos turpis egestas Urgeat.

Parvus, *Laud. Dei*, ii, 313 : (Utinam) tantum parvis fecisset culpa reatum. — Sæpe ap. latin script. v. g. Cic. *de Fin.* iii, 5 ; *de Leg.* ii, 4 ; Stat. *Silv.* i, 5, 43, etc. In *Script. Sacr.* Jerem. xlii, 1.

Pauper, *Laud. Dei*, iii, 51 : Nos exempla docent damnati divitis, ingens Pauperis et requies : *Carm. Min.* v, 53 : Pauper adest miserandus, inops ; 59, 90, 167, 176, 186, 187, etc... et sæpissime in hoc carmine. — Sæpe in

*Script. Sacr.* v. g. Matth. v, 3 ; xix, 21 ; Luc. iv, 18 ; vi, 20 ; Jacob. ii, 2, 3, 5, 6, etc.

Pavidi, *Carm. Min.* v, 194 : pavidos en format egestas.

Pinniger, *Carm. Min.* x, 173 : sed pinniger audax (est). — Coripp. *de Bell. Lybic.* iv, 981.

Pius, *Laud. Dei*, ii, 524 : monumenta piorum Clausa patent ; 805 (Cf. supra Humilis, p. 48) ; iii, 162, 682 : sub sorte piorum ; *Carm. Min.* v, 104 (Cf. supra Modesti, p. 50) : viii, 171 : ut liceat servare pios. — Sæpe ap. latin. script. præsertim cum significat Elysii manes, v. g. Ovid. *Metam.* xi, 62 ; Cic. *Philipp.* xiv, 12 ; Horat. *Carm.* iii, 4, 6.

Placidi, *Laud. Dei*, ii, 735 : Qui placidis sævisque jubet procedere solem.

Potentes, *Laud. Dei,* i, 738 : (qui) sternit... potentes. — *Carm. Min.* v, 61 : domibus magis ille potentum Verus amicus erit ; 168 : vita potentis Non patet insidiis ; 175 : (Cf. supra Miseri, p. 50) ; 220 : Solliciti cives debent spectare, potentes Securi ne regna petant. — Phædr. i, 24, 5, 30 ; — sæpe in *Script. Sacr.* v. g. Levit. xix, 15; Judith xvi, 8 ; Ps. lxxi, 12, etc.

Pravi, *Laud. Dei*, ii, 734 (Cf. supra Justi, p. 49). — In *Script. Sacr.* Job v, 13 ; Prov. x, 31 ; Eccli. iii, 28.

Priores = majores, *Laud. Dei*, ii, 304 : Multorum nos sæva docent exempla priorum ; — Verg. *Æn.* iii, 693 ; — Phædr. iv, 19 ; — Plin. *Epist.* iii, 4 ; — Ovid. *Metam.* x, 218, etc.

Profani, *Laud. Dei*, ii, 490 : Ut terrore domet potiusquam clade profanos ; iii, 246 : Sed ne forte legat hæc carmina nostra profanus. — Ovid. *de Art. Am.* ii, 601 ; — Macrob. *Somn. Scip.* i, 18. — In *Script. Sacr.* II Mach. xii, 23 ; Hebr. xii, 16.

Propinquus, *Laud. Dei*, iii, 260 : scelus est jugulare

propinquos ; 283 : jugulatque propinquum ; 587 : mox discessere (1) propinqui ; *Carm. Min.* v, 6 : (velit) jugulare propinquos ; 169 (Cf. supra Dives, p. 47). — Sæpe ap. latin. scriptores, v. g. Cic. *de Offic.* I, 17, 18, etc. Sæpe etiam in *Script. Sacr.* Job XIX, 14 ; XXI, 8 ; XXXI, 34, etc.

REBELLIS, *Sat.* 127 : solusque rebellis Formidat mortem.

RUSTICUS, *Sat.* 70 (Cf. supra Impius, p. 48). — Ovid. *Fast.* I, 665 ; *Pont.* II, 5, 61 ; — Colum. II, 9. — In *Script. Sacr.* Sap. XVII, 16.

SÆVUS, *Laud. Dei*, II, 735 (Cf. supra Placidi, p. 51) ; *Carm. Min.* IV, 36 (Cf. supra Gladius hostis, p. 22).

SANCTUS, *Laud. Dei*, II, 504 (Cf. supra Insons, p. 49 ; Cf. etiam p. 10). — Sæpissime in *Script. Sacr.* v. g. II ad Corinth. XIII, 12 ; ad Ephes. I, 1 ; Apoc. v, 8 ; XIV, 12 ; XIX, 8, etc... et apud omnes ecclesiasticos scriptores.

SONTES, *Laud. Dei*, II, 692 : ut jubeas vel juste occidere sontes ; *Sat.* 281 : Sontes peccantes tantum sua culpa fatigat. — Nonnunquam apud latin. script. v. g. Plaut. *Capt.* III, 1, 15 ; Cic. *de Offic.* I, 24 ; *de Leg.* III, 3, etc.

SUPERBUS, *Laud. Dei*, I, 739 : mergit ab arce superbos ; II, 722 et 805 (Cf. supra Humilis, p. 48) ; III, 445 : debellare superbos Urget ; *Carm. Min.* v, 92 : superbus Præmia, non veniam peteret ; 235 : triumphantis legem si forte superbus Temneret. — Verg. *Æn.* VI, 853 ; — Sæpe in *Script. Sacr.* v. g. Psalm. XCIII, 2 ; CXVIII, 21, 51, 66, 78, 122 ; Luc. I, 51, etc.

SUPERSTES, *Laud. Dei*, II, 31 : Spes hominum, rerum princeps, mundique superstes.

SUPPLICES, *Sat.* 186 : si nulla dedisset Non exoratus præstita supplicibus.

TIMIDUS, *Carm. Min.* v, 171 (Cf. supra Fortis, p. 47).

(1) Discessere, loco dedidicere (Mign. edit.), ex centonibus Berol.

Tristes, *Carm. Min.* v, 50 : Lætantur tristes.

Vivi, *Carm. Min.* ix, 226 (Cf. supra Inferni. p. 48). — Sæpe in *Script. Sacr.* v. g. Marc. xii, 27 ; Luc. xx, 38 ; Act. Ap. x, 42 ; ad Rom. xiv, 9, etc.

*b*) **In feminino genere.**

Callida, *Orest.* 316 : Callida participem sceleris solatur.

Casta, *Laud. Dei*, iii, 318 : Post regale nefas quod castæ gessit adulter.

Mystica, *Orest.* 59 (Cf. supra p. 43, Mysticus).

*c*) **In neutro genere.**

Benignum (bonum), *Laud. Dei*, i, 564 : (a Deo) conceditur omne benignum.

Generale, *Laud. Dei*, ii, 183 : Et speciale jubes, tanquam generale, tueri.

Inane, *Laud. Dei*, i, 152 : (tellus) gravior per inane pependit ; iii, 14 : volitant per inane flagella ; *Carm. Min.* x, 98 : excussit per inane caput ; 118 : Persulcans per inane polos micat orbita florum ; 465 : Verbera plaudentum resonant per inane sororum. — Sæpe apud lat. script. v. g. Verg. *Æn.* xii, 906 ; *Eclg.* vi, 32 ; Plin. *Hist. Nat.* viii, 43, 68 ; xxx, i, 4, etc.

Perenne, *Laud. Dei.* iii, 94 : Quam sit insipiens contemnere velle perenne.

Profundum, *Laud. Dei*, i, 394 : quasi nympha profundi. — Verg. *Æn.* xii, 263 ; — Stat. *Theb.* v, 283 ; xi, 524 ; — Val. Flacc. *Argon.* i, 585 ; ii, 606 ; viii, 314, etc.

Serenum, *Laud. Dei.* i, 68 : Violare serenum Audet ; 586 : hinc imbres veniunt, placidumque serenum. — Sæpe ap. latin. scriptores, v. g. Liv. xxxvii, 3 ; — Lucan. i, 530 ; — Stat. *Silv.* iii, 1, 81, etc.

Speciale, *Laud. Dei*, ii, 183 (Cf. supra Generale).

Insuper multa adjectiva neutrius generis in plurali numero, substantivorum more, adhibuit Dracontius. Quæ cum sæpissime apud latinos scriptores inveniantur, hic tantum sunt enumeranda :

Aliena, *Laud. Dei*, ii, 749.
Amœna, *Laud. Dei*, i, 575.
Ardua, *Carm. Min.* ii, 13.
Cælestia, *Laud. Dei*, iii, 11.
Cærula, *item*, i, 237, 676.
Casta, *item*, ii, 460.
Cauta (legis), *Carm. Min.* v, 232.
Celsa, *Laud. Dei*, iii, 229.
Consortia, *Orest.* 967.
Cruenta, *item*, 490.
Divina, *item*, 655.
Festiva, *item*, 2 ; *Laud. Dei*, iii, 367.
Fœda, *item*, 332.
Honesta, *Laud. Dei*, iii, 466 ; *Orest.* 332.
Illicita, *Sat.* 20.
Improba, *Carm. Min.* ii, 12.
Justa, *Orest.* 490.
Magna, *Carm. Min.* ii, 15.
Minora, *Laud. Dei*, ii, 182
Mira, *item*, iii, 439.
Misera, *Carm. Min.* x, 420.
Parva, *item*, ix, 213.
Prava, *item*, v, 75.
Sacra, *item*, v, 144 ; *Orest.* 832.
Sæva, *Carm. Min.* v, 24
Sancta (legis), *Laud. Dei*, i, 624 ; ii, 460, 647.
Secreta, *Laud. Dei*, ii, 4 ; *Carm. Min.* ix, 119 ; *Orest.* 126.
Severa, *Orest.* 904.
Sublimia, *Carm. Min* ii, 15.
Tristia, *Laud. Dei*, iii, 366 ; *Sat* 56.
Vitalia, *Laud. Dei*, i, 651.

## VI

### DE NUMERIS

*a*) Sæpe adhibentur « noster, vester », cum adhibenda essent adjectiva « meus, tuus », atque etiam interdum, in eodem versu, unum alteri apponitur :

« Sic mea corda Deus, nostro peccante reatu. »
(*Sat.* 19.)

« Lauro cincta tua, vestris ornata coronis. »
(*Carm. Min.* v, 145.)

« Sed precor aspergant nostrum [meum] tua numina pectus. »
(*Carm. Min.* vi, 31.)

« Quinque dabo inferias ; sat erunt pro crimine nostro [meo]. »
(*Carm. Min* x, 425.)

« Nunc nostras [meas] audite preces. »
(*Carm. Min.* x, 446.)

« Te Venerem freta vestra [tua] negent. »
(*Ibid.* 596.)

« En tibi vestis adest nostro [meo] contexta labore. »
(*Orest.* 252.)

Sic etiam, *Orest.* 758 : nostri [mei] criminis auctor ; 878 : regnator Atrides Noster [meus] erat genitor ; 77 : Nomina vestra [tua] tenens, quasi jusseris ; 100 : vestra [tua] pietate redemptam ; *Carm. Min.* I, 16 : Quos capit dulcedo vestri [tui], doctor, oris maxima ; II, 31 : Vester [tuus] si reus est auctor Neptunus ; III, 16 : de vestro [tuo] fonte, magister ; IV, 9 : Pænitet, alme parens, vestra [tua] de stirpe creatum Alcidem ; V, 125 : imago vestra [tua] ; 126 : Virtutis vestræ [tuæ] circumdent funera testem ; VII, 135 : dum tacet os vestrum [tuum] ; VIII, 375 : nec vester [tuus] creverat Ajax ; 475 : vestra [tua] columba ; 631 : sectatur vestigia vestra [tua] Polites ; IX, 135 : Nominis invidiam vestri [tui]... Manes exagitant ; 147 : vestri [tui] pœnas luit ille doloris ; X, 95 : vestrum [tuum] me misit alumnum ; *Orest.* 77 : epistola mendax Nomina vestra [tua] tenens ; *Sat.* 299 : vestræ [tuæ] pietatis origo. — Sic franco-gallice.

Hic loquendi modus raro apud latinos scriptores invenitur ; attamen nonnunquam legitur apud comicos, et etiam apud Vergilium : Plaut. *Cas.* II, 8, 73 : *Chal.* : nostra [mea] omnis lis est ; pulchre prævortar viros ; nostro [meo] omine it dies ; jam victi sumus ; ibo, etc... *Mil. Glor.* II, 5, 23 : certe equidem noster sum. — Terent. *Eun.* II, 4, 69 ; V, 10, 17. — Verg. *Æn.* XI, 54 : Hi nostri [mei] reditus exspectatique triumphi ? Hæc mea magna fides ?

*b*) Adjectivus numeralis ordinalis in plurali numero sin-

gulariter adhibetur, *Orest.* 572 : donec ab undecimis ætas exemerat annis.

## VII

### DE CASIBUS

*a*) In adjectivorum declinatione, semel nominativus pro vocativo adhibetur, *Carm. Min.* VIII, 221 : Nate, redux pietatis amor, bonus arbiter Idae.

Non omnino insolens est hic loquendi modus, quem usurpaverunt etiam aureæ latinitatis scriptores : Verg. *Æn.* VI, 835 : projice tela manu, sanguis meus. — Liv. I, 24, 7 : Audi tu, populus albanus. — Plaut. *Asin.* III, 3, 74 : da, ocellus meus, mea rosa, mi anime, mea voluptas... argentum mihi. Cf. Neue, *Formenlehre*, t. II, pp. 367-368; Cf. etiam t. I (edit. 1875-1877), pp. 83-84.

*b*) Nobile pro nobili ponitur, *Laud. Dei*, II, 769 : de nobile pauper Jam modo dives eget.

Forte pro forti, *Carm. Min.* IX, 4 : fortis pro forte rogaris. — Cf. supra pp. 28-29; Neue, *Formenlehre*, t. II, pp. 54-56; (edit. 1875-1877) t. I, p. 225; t. II, pp. 31 sqq.

## VIII

### DE COMPARATIVO ET SUPERLATIVO

*a*) Comparativi vice fungitur positivum cum adverbio « plus » aut « magis », et etiam cum utroque, aut cum « magis » simulque comparativo : *Carm. Min.* XI, 20 : Rusticitasque deo est gaudens, plus sordida musto; *Laud.*

*Dei*, II, 693 : plus pius es quam justus ; sic franco-gallice. — Nemes. *Eclg.* IV, 72 ; — In *Sacr. Script.* Ezech. V, 6 ; Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, pp. 400 et 427. — *Carm. Min.* IV, 33 : lues magis exstitit ardens. — Terent. *Eun.* II, 1, 21 ; V, 4, 12 ; *Andr.* IV, 2, 15 ; *Adelph.* IV, 5, 30 ; V, 9, 36 ; — Plaut. *Amph.* II, 1, 54 ; — Horat. *Epist.* I, 7, 43 ; — Verg. *Æn.* IV, 31 ; — in *Script. Sacr.* Proverb. XVIII, 24 ; Sapient. VIII, 20 ; Cf. Goelzer, *ibid.* ; Gamber, op. cit. p. 192. — *Orest*, 234 : Plus magis audaces animos de crimine sumunt ; 587 : mage quæ sit dignior aura. — Plaut. *Men.* prol. 55 ; *Pœn.* prol. 82 ; *Capt.* III, 4, 112 ; *Stich.* V, 4, 22 ; *Bacch.* III, 3, 58 ; — Justin. XII, 11 ; — In *Script. Sacr.* Matth. VI, 26 ; XII, 12 ; ad Philipp. I, 23. — Sic in vulgari sermone ; Cf. alia exempla deprompta ex Plaut. ; Terent. ; Auct. *Belli afric.* ; Vitruv. ; Apul., etc... apud Goelzer, op. cit. p. 400, n. 1. — Cf. etiam Goelzer, op. cit. p. 428, et ejusdem *Grammaticæ... observationes*, p. 87. — Cf. Neue, *Formenlehre*, t. II, p. 263.

*b*) Comparativum loco positivi adhibetur, sed plerumque in dissyllabis adjectivis trochaicis, ratione metri :

SÆVIOR = sæva, *Carm. Min.* V, 131 : Hæc est apta tuis antistita sævior aris ; X, 177 : Impia quam Colchis, jam sævior ara Dianæ Cœperat ostendi ; *Orest.* 625 : cum posceret heros Virginis inferias, in Pergama sævior umbra ; 835 : adero tibi sævior umbra.

LONGIOR = longa, *Carm. Min.* VIII, 520 : Sic flavis ornata comis, sic longior artus.

FORTIOR = fortis, *Carm. Min.* VIII, 92, 155 et 624 : fortior Hector ; IX, 54 : Fortior occisi consurgens ultor amici ; *Orest.* 637 : progressus puppibus audax Fortior Œnides.

CARIOR = carus, *Carm. Min.* IX, 224 : sic carior ille solis.

DULCIOR = dulcis, *Carm. Min.* X, 27 : dulcior ut venias.

Tristior = tristis, *Carm. Min.* ix, 152: tristior orbita; x, 172: et jam bruma rigens, Arctoi tristior axis.

Mollior = mollis, *Orest.* 370 : mollior ætas.

Justior = justus, *Orest.* 925 : Justior invenior.

Purior = purus, *Sat.* 91 : Quod cælum, quod terra, fretum, quod purior aer Non meruere simul.

Crudelior = crudelis, *Orest.* 607 : crudelior ensis Truncet (colla).

Senior = senex, *Laud. Dei*, iii, 97 : Qui natum senior susceptum tardius unum Spe cito contempsit; *Carm. Min.* x, 315 : Concidit Europæ senior fraudatus amore : *Orest.* 663 : Dixerat hæc senior; 667 : Ito prior, senior; 670 : abscedens senior præcessit ad urbem.

Spatiosior = spatiosa, *Laud. Dei*, iii, 197 : si porta fugæ spatiosior obstet (1).

Item de adverbiorum comparativis :

Citius = cito, *Orest.* 58 : officium citius dedit ipsa ministræ.

Ocius = cito, *Orest.* 78 : quasi jusseris ipse venirem Ocius.

Interius = intra, *Orest.* 829 : Repperit interius matrem in penetralibus aulæ ; *Carm. Min.* vi, 16 : interius vos musa .. Et Bromius possedit Hymen.

Longius = longe, *Orest.* 137 : Ipsa Clytemnestræ sacro correpta furore Longius exclamat.

Manifestius = manifesto, *Laud. Dei*, iii, 155 : dedit ergo tempora princeps Omnia perpetuo generi manifestius Isac.

Acrius = acriter, *Orest.* 424 : timuere bubulcum Acrius, hectoreos qui non timuere furores.

*c*) Positivum pro comparativo semel ponitur :

(1) Cf. Ernault, *de Virgilo Marone*, p. 55.

Cito = citius, *Laud. Dei*, II, 493 : pietas tamen alma Parentis, Indulgere volens cito quam punire parata.

*d*) Comparativum pro superlativo ponitur :

Major = maximus, *Carm. Min.* VIII, 142 : corpus Funeris Hectorei pretio majore redemptum.

Melior = optimus, *Orest.* 605 : Surge juventutis melior spes indole regni. — Auct. *Belli afric.* LVI, 3 ; sic in sermone vulgari ; Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p 399 ; Gamber, op. cit. p. 190 ; Ernault, op. cit. p. 55. — Animadvertit Wölfflin Afros conturbasse comparativorum et superlativorum usum quia in lingua Punica deficerent comparationis gradus (*Archiv für lat...* t. VII, p. 480).

*e*) Superlativi loco adhibetur positivum cum « nimis, nimium » aut alio adverbio :

Nimis fecunda = fecundissima, *Laud. Dei*, III, 302 : Si tellus fecunda foret nimis.

Nimis grandis = grandissimus, *Ibid.* 463 : Datque nimis grandem mulieribus ira furorem.

Nimis ambrosius = maxime ambrosius, *Laud. Dei*, I, 325 : Et nimis ambrosium lacrimæ dant munus odoris.

Nimis acceptus = acceptissimus, *Carm. Min.* X, 56 : Est nimis acceptus juvenis mihi pulcher Iason.

Nimis beata = beatissima, *Laud. Dei*, I, 140 : Unda beata nimis, meruit quæ tecta polorum.

Nimium fidus = fidissimus, *Orest.* 291 : Cujus erat nimium fidus Pylades amicus. Cf. *Carm. Min.* II, 162.

Sic etiam Bene dives = ditissimus, *Laud. Dei*, III, 39 : Exstinctam dolet esse famem bene dives egenus.

Bene largus = largissimus, *Laud. Dei*, II, 727 : et ditas opibus bene largus egentes (sic franco-gallice : il est bien courageux).

Male garrula = maxime garrula, *Carm. Min.* VII, 105 : Illa tamen querulas miscet male garrula voces.

Male concita = maxime concita, *Orest.* 707 : Una puellarum male concita currit anhelans.

Immane salubre = saluberrimum, *Orest.* 611 : Sed dabo consilium sollers immane salubre.

Cf. Plaut. *Amph.* i, 1, 63 ; *Miles.* iv, 2, 8 ; *Aulul.* iii, 6, i ; *Trin.* iv, 2, 86 ; — Catull. lxiv, 22 ; — Stat. *Silv.* ii, 7, 24 ; — in *Script. Sacr.* Matth. viii, 28. — Sic in sermone vulgari ; Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, pp. 427-428. — Cf. Neue, *Formenlehre*, t. II, p. 264 ; *Archiv für lat...* t. I, pp. 93 sqq.

## CAPUT III

### DE PRONOMINE

*a*) Ille vice articuli nonnunquam fungitur :

*Carm. Min.* v, 180 : Sic iter aptatur, vel transitus ille paratur ; viii, 311 : Priami recidiva domus manet illa tyranni ; *Orest.* 164 : redit ille meus post bella maritus ; 228 : redit illa voluptas Impia ; *Laud. Dei*, i, 377 : posset et illam Pulvere de simili princeps formare puellam. — In *Script. Sacr.* Sapient. xii, 3 ; vi, 10 ; Cf. Goelzer, *Grammaticæ... observationes*, pp. 82-83 ; *Archiv für lat...* t. XI, pp. 392-393.

*b*) Sæpius adjectivum aut pronomen reflexivum ponitur ubi leges grammaticæ demonstrativum aut etiam nullum requirunt : *Carm. Min.* viii, 281 : Nascitur invidia Priamo regnante sororem Grajugenis servire suam = nascitur invidia Priami regnantis sororem Grajugenis servire ; 640 : sponsamque tegunt sua flammea pulchram = sponsamque tegunt flammea pulchram ; ix, 136 : Nominis invidiam vestri per flumina Manes Exagitant, sua jura neges quod morte peremptis = quod neges morte peremptorum jura ; x, 28 : ut venias... ad sua [earum] castra petunt ; *Orest.* 393 : Inde ferox percussus obit sub morte securis, Atque sua [ejus] proles jacuit ; 591 : [cave] Ne jugulatricem patris dum vivere censes, Credaris non esse suus [ejus] ; 623 : Qualiter infremuit post somnia Pyrrhus Achillis, Quæ sensus monuere suos [ejus] ; 821 : Adstitit ante oculos genitrix sua [ejus]; 903 : Percutienda fuit rea maxima

judice justo, Non tamen ense suo [ejus] ; *Laud. Dei*, II, 96 : Hæc fragilis natura jacens humana meretur De pietate sua [ejus, i. e. Dei] ; 143 : sed ut quid

> Miremur Dominum tantum potuisse polorum,
> Discipuli famulique sui [ejus] cum tanta per orbem
> Gentibus innumeris omnes fecisse legantur ?

505-506 : Dei commercia fiunt, Discipulo vendente suo [ipsius], funesta duobus ; III, 181 : Atque suum [ejus] solium jubet omnis adoret (1). — In *Script. Sacr.* Sapient. V, 1 ; VI, 14 ; X, 9 ; XIV, 19 ; XV, 11 ; XVIII, 22, etc... Idem notat Thielmann in libro Sirach (Cf. *Archiv für lat...* t. VIII, pp. 554 555). Hæc autem confusio ad vulgarem sermonem omnino pertinet, Cf. Gœlzer, *S. Jérôme*, pp. 403-404.

*c*) Quemadmodum « noster » et « vester » adhibentur cum adhibenda essent « meus » et « tuus », sic « nos » et « vos » inveniuntur ubi essent ponenda « ego » et « tu », et aliquando in eodem versu unum alteri apponitur (Cf. supra p. 54).

*Carm. Min.* IV, 15 : Dum nobis immensa jubet, me deque triumphis... I, 20 : « Nos licet nihil valemus », cum in superiori versu legitur : « concinam » et in sequenti : « oro » ; — IV, 12 : per nos [me] nam bella geruntur; VII, 135 : « nec nos [me] sermone juvatis », cum legitur antea (v. 134) : « ero », et postea (v. 136) : « reor » ; — X, 16 : nos [ego] illa canemus. — Item legitur, *Carm. Min.* III, 20 : quæcumque loquor, quæcumque canemus; — II, 50 : « fatemur », et postea (v. 52) : « docebo » ; — VIII, 3 : Aggrediar meliore lyra, nam prodimus hostem ; — 374 : felix in pace senesce Quam vis ; nemo ducum vos unquam in bella

(1) Alia exempla afferri possent, ex diversis lectionibus. Cf. *Carm. Min.* V, 222 ; VII, 11.

lacessit ; — IX, 35 : nec spectant funera pœnas Arbitrio subjecta tuo, si parcitis umbris. — Terent. *Andr.* IV, 4, 15 ; — Plaut. *Cas.* (Cf. supra p. 55). — Sil. Ital. *Punic.* XII, 390 ; sic etiam scripsit Vergilius (*Eclg.* II, 6-7) :

« O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas ?
« Nil nostri miserere ? mori me denique cogis ? »

Cf. etiam *Æn.* IX, 525 ; IV, 226-227 ; *Georg.* IV, 321-325 ; — Cf. R. S. Conway : *The singular use of nos.*

*d)* QUISQUE pro uterque nonnunquam sumitur, *Orest.* 236 : officio stat quisque suo (i. e. Clytemnestra et Ægisthus) ; 297 : Cornipedem si quisque levem frenabat habenis (nisi legatur cum Maehly, loco quisque levem, « quis celerem ») ; 665 : prope jam non esse Mycenas, Quisque dolent juvenes. — Ovid. *Fast.* II, 715 ; *Heroid.* XIX, 169 ; — Liv. II, 44 ; — Suet. *Aug.* 26. — Hinc

NEC QUISQUAM = neuter, *Orest.* 301 : Nec vinci est quisquam metuens nec vincere fervens (de Oreste et Pylade).

## CAPUT IV

### DE VERBO

### I

Inveniuntur apud Dracontium quædam verba antehac inusitata, quorum pleraque a posterioris ætatis scriptoribus non sunt usurpata :

Dedigno, as, *Carm. Min.* ix, 28 : tumulos aut ossibus urnas Dedignant animæ. — Forsan legitur in leg. Alamannorum tit. xli. — Idem est ac dedignor, aris.

Discipulans, part. præs. *Sat.* 154 : Cinctus apostolica discipulante manu. — Legitur « discipulati » apud Isidorum, in Glossis. — In Glossario græco-latin. xv sæculi legitur : discipulare, ensaigner, disciple (Cf. du Cange, *Lexic.*).

Illæsurus, partic. fut. (in negativ. et læsurus), *Laud. Dei*, ii, 172 : Africus interea motus virtute jubentis Illæsurus adest. — Legitur illæsus apud Plin. *Hist. Nat.* xv, 30, 40 ; — Ovid. *Heroid.* xv, 168 ; — Senec. — Stat. — Martial. — Lactant.

Implicito, as, *Laud. Dei*, ii, 293 : cur tela propinquis Implicitant ? — Forsan apud Plin. *Epist.* ix, 33 ; sed multi legunt implicat, loco implicitat. — Medio ævo, legitur in Acherii spicilegio, ann. 1153, t. VIII, p. 180.

Indens, part. præs. e verbo « indere », *Laud. Dei*, i, 518 : Tædia lætitiæ, vel gaudia luctibus indens. — Indi-

turus invenitur apud Caton. *de Re rustic.* 100. — Indere præsertim adhibetur a Plauto, *Casin.* II, 3, 31 ; *Mil.* II, 5, 1 ; *Capt.* I, 2, 3 ; *Men.* I, 1, 3; *Asin.* III, 2, 7 ; *Rud.* I, 1, 6 ; *Pers.* IV, 4, 22 ; *Merc.* III, 1, 19.

Pennor, aris, *Laud. Dei*, I, 262 : Pennantur membrata globis. — Pennatus legitur apud Plin. *Hist. Nat.* x, 52 ; — Claudian. in Prol. *Laud. Stilich.* 356 ; *de Nupt. Honor.* 204, sed nusquam pennor in conjugatione.

Recerpo, is, *Orest.* 397 : Temporibus licitis blandos recerpite somnos (ex Rossberg, *Materialien,* I, p. 47 ; alii legunt decerpite ; sed licet eligere recerpere, etiamsi producatur prima; nam, ut ait Muller (*de Re metrica*, pp. 450, 451) a christianis poetis nonnunquam producitur *re*, ratione metri).

Reperdo, is, *Orest.* 179 : Nec volo tam multi sceleris reperdere fructum (ex Baehrens lectione, quam sequitur Rossberg ; alii legunt deperdere ; Cf. supra Recerpere).

Saporo, as, *Laud. Dei*, I, 718 : autumni qui dulcia poma saporat. — Post Dracontium, S. Petr. Chrysol. *Sermon.* 157 ; — *Conc. Tolet. XI inter Hispan.* t. II, p. 661.

Sorbo, ere, *Carm. Min.* v, 212 : Sorbere mortiferum ceu pocula blanda venenum. — Idem est ac sorbeo, es ; complures poetæ, ait Muller (op. cit. p. 509), corripiunt e in secunda conjugatione. — Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. II, p. 422.

Subarundino, as, *Laud. Dei*, I, 171 : Vinea pampineos subarundinat ebria campos.

Teporo, as, *Laud. Dei.* I, 143 : Nec flammas restinguit aqua glaciemve teporat. — Teporatus usurpatur a Plin. *Hist. Nat.* xxxvi, 26. Post Dracontium, legitur teporari apud Ganzonem, in *Mirac. S. Gengulphi*, num. 33.

## II

Plura sunt verba, a Dracontio usurpata, quæ raro apud latinos scriptores leguntur :

Boo, as, *Orest*, 367 : Et querula sic voce boat. — Plaut. *Amph.* I, 1, 77 ; — Ovid. *de Art. am.* III, 449 ; — Apul. *Metam.* 5.

Cariturus, part. fut. e verbo carere, *Laud. Dei*, II, 221 : Et nunquam caritura comis frondescit oliva. — Ovid. *Heroid.* IV, 1 ; *Pont.* IV, 5, 41 ; — Plin. *Hist. Nat.* XX, 21, 84, 224 ; — Colum. I, 7, 7 ; III, 10, 14. — Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. II, p. 585.

Cluo, is, *Orest.* 531 : cluat sub crimine inulto Læsus et indomitus ; — Plin. *Hist. Nat.* XV, 29, 36. — Auson. *Prof. Burdig.* 21. — Prudent. *in Symmach.* II, 584 ; — Symmach. *Epist.* I, 1. — Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. II, p. 426.

Compluo, is, *Laud. Dei.* II, 411 : nigrumque bitumen Compluit. — Varron. *de Ling. lat.* IV, 33 ; — S. Aug. *de Genes. contr. Manich.* I, 23.

Conventus ero = convenero (fr. g. : *je serai venu*), *Carm. Min.* II, 161 : quæ pignora reddam Cum conventus ero? — Hæc forma omnino insolens est ; cui tamen conferas hanc Plauti locutionem (*Curc.* II, 3, 37) : facite esse ut ventum gaudeam, h. e. ut gaudeam me advenisse.

Dato, as, *Carm. Min.* X, 514 : Accipe, virgo,... coronam Quam captiva dato. — Plaut. *Mostell.* III, 1, 78 ; *Aulul.* IV, 4, 10 ; — Plin. *Hist. Nat.* XXV, 5, 23 ; — Sidon. Apoll. *Epist.* V, 13.

Defloro, as, *Laud. Dei*, I, 589 : deflorat fructus. — Forsan ap. Gell. XIV, 1.

Effigio, as, *Carm. Min.* viii, 491 : Effigiat per cuncta virum. — Prudent. *Cathemer.* x, 4 ; — Sidon. Apoll. *Epist.* vi, 12.

Epulo, as, *Sat.* 122 : Captivosque tuos deliciis epulas. — Idem est ac epulor, aris. Priscianus grammaticus (vi° sæcul.) affirmat (*de Arte Gramm.* viii, p. 797, edit. Pustch.) veteres dixisse non solum epulor, aris, sed etiam epulo, as. Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. II, p. 284.

Exiet = exibit, *Carm. Min.* ix, 151 : Exiet Andromache. — Item Periet = peribit, *Carm. Min.* viii, 200 : Mortali divum periet quo judice judex ? — *Orest.* 169 : Et periet jam noster amor. — Rediet = redibit, *Carm. Min.* viii, 141 : en lacerum rediet pro pignore corpus. — Aliquoties a scriptoribus adhibentur hujusmodi formæ : Iniet ap. Senec. *de Benef.* ii, 1 ; — Redies apud Apul. *Metam.* vi ; — Cf. Tertull. *advers. Jud.* xiii, *ex Matth.* ii, 6 ; Lactant. xvi, *in fine ;* — S. Hieron. *in Luc. hom.* 35 ; *in Isai. ad* 51, 459 ; *adv. Lucif.* 5, etc. (Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 287). — In *Script. Sacr.* legitur exiet, Matth. ii, 6 ; v, 26 ; Luc. xii, 59 ; Apocal. xi, 5 ; — periet, Eccli. viii, 18 ; xxiii, 7 ; xli, 9 ; — rediet, Levit. xxv, 10 et 13 ; Jerem. xxxvii, 7. — Hinc usurpat etiam Dracontius Rediebat, *Carm. Min.* x, 272 : domitis rediebat ab Indis. — Hinc etiam dicit Eam (ibo), *Orest.* 612 : Explorator eam tacitaque hos voce monebo. — Cf. Neue, *Formenlehre*, t. III, pp. 327-330 ; — *Archiv für lat.* .. t. VIII, pp. 258 et 552.

Ferit, præteritum verbi ferire, *Orest.* 748 : Nec ferit Andromache. — Præterito caret verbum ferire ; apud Charisium tamen grammaticum (v° sæculo) invenitur (edit. Pustch. III, p. 222) hujus verbi integra conjugatio : ferii, ferieram, ferierim, ferisse, feritum, ferire, sed sine exemplis. Hinc Dracontius participium futurum usurpat, *Laud Dei*, iii, 101 : Stabat in officio, jamjam feriturus amatum

— Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. II, pp. 506-507 et 585.

Flans, particip. præs. e verbo flare, *Sat.* 98 : Quando Deum oblitus flans vitulum coluit. — Hirt. *de Bell. Alex.* 11.

Fluesco, is, *Laud. Dei*, i, 697 : saxa fluescunt In cineres. — S. Aug. *de Civit. Dei*, xxi, 5 et 7.

Furui, præteritum verbi furo, is, *Orest.* 848 : Ut quondam furuit Danaum fortissimus Ajax. — Plin. *Hist. Nat.* xxxiii, 11, 13 ; — Coripp. *de Bell. Lybic.* viii, 137 ; — Sedul. *Carm. Pasch.* i, 212 ; — Serv. ad Verg. *Æn.* iv, 469, 471, 533. — Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. II, p. 506.

Ignitus, partic. præter. verbi ignio, ire, *Laud. Dei*, iii, 171 : crinibus ignitis. — Prudent. *Peristeph.* x, 1078. — Cf. *Archiv für lat...* t. VII, p. 475.

Membror, aris, *Laud. Dei*, i, 337: (limus) membratur in artus Corporeos ; i, 262 (Cf. supra Pennor, p. 65). — Censorin. (iii° sæcul.), *de Die natal.* 11.

Muratus, partic. præter. ex inusitato muro, as, *Laud. Dei*, iii, 627 : Ordine muratum dentes cinxere palatum. — Veget. *de Re milit.* i, 21 ; iii, 8. — S. Hieron. *in Is.* i *ad* 2, 15 ; *in Ezech.* v *ad* 17 sqq. ; etc... (Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 159).

Oculo as, *Laud. Dei*, i, 646 : vultusque sepulti Nocturnos perpessa dies oculatur imago. — Tertull. *de Pænitent.* 12; *de Pudic.* 8 ; *Apolog.* 2.

Pæniteo, *Laud. Dei*, i, 694 : Ut se pæniteant sceleris mala vota reorum. — Hinc *Sat.* 100 : Si sceleris facti mens rea pæniteat ; 304 : Ni peccata dolens pæniteat sceleris. — Pacuv. apud Non. vii, 63 ; — Coripp. *de Bell. Lyb.* iv, 210 ; — Cypr. *Epist.* xix, 2 ; — Salvian. *de Gubern. Dei*, v, 10, 54 ; — Venant. Fortun. *Vit. S. Martin.* ii, 195 ; — in *Script. Sacr.* Judith v, 19 ; Marc. i, 15 ; Act. Apost. iii, 19. —

Cf. Neue, *Formenlehre*, t. III, pp. 651-652. — *Archiv für lat...* t. III, p. 36. — In sermone vulgari usurpabatur hæc forma. Cf. Riemann, op. cit., p. 57, n. 3. — Sic usurpat etiam Dracontius Pigent, *Carm. Min.* viii, 62 : Flumina rura pigent; et Pudebit, *Orest.* 903 : quid jam peccasse pudebit. — Cf. supra p. 29.

Plago, as, *Carm. Min.* ix, 75 : plagare Cytheren. — S. Aug. *de Civit. Dei*, xxi, 11.

Plasmo, as, *Laud. Dei*, i, 336 : auctor Plasmavit per membra virum ; ii, 87 : Et caro plasmatur. — Prudent. *Apoth.* 933 ; — Tertull. *de Spectac.* 23.

Præscio, is, *Laud. Dei*, i, 519 : Cur exempla damus homines præscire futura. — Terent. *Andr.* i, 5, 4 ; — Suet. *Tib.* 67.

Pulcresco, *Orest.* 128 : lasciva reos pulcrescunt gaudia vultus. — Seren. Sammon. *de Medicin.* lxiv, 824 ; — S. Aug. *serm.* 35 ; — Cassiod. *Variar.* v, 40. — Cf. *Archiv für lat...* t. I, p. 485.

Reloco, as, *Carm. Min.* x, 237 : et gladium dextræ relocabat inerti. — Ulp. *Dig.* xix, 2, 13.

Rescio, ire, *Orest.* 677 : solis rescire negatur Complicibus scelerum, Cf. p. 40. — *Laud. Dei*, i, 1 : qui cupiunt animis rescire Tonantem. — Terent. *Hecyr.* iv, 1, 4 ; *Adeph.* i, 1, 45 ; — Cic. *de Offic.* iii, 23.

Revideo, es, *Carm. Min.* x, 355 : Optarim revidere meos. — Plaut. *Truc.* ii, 2, 65.

Sponso, as, *Orest.* 78 : conjux sponsantis Achillis. — Paul. *Dig.* xxiii, 2, 38 ; — Tertull. *de Virgin. veland.* 16 ; — Paul. Nolan. *Carm.* xviii, 43.

Subientem = subeuntem, *Orest.* 817 : Repperit Æacidem subientem templa Deorum (ex uno codice, subeuntem). — Nusquam invenitur hæc forma ; attamen legitur *ientibus* in *Corp. Inscript. latin.* t. VI, 10241. — De hujusmodi

formis, Cf. Neue, *Formenlehre*, t. III, p. 330. — Cf. supra Exiet, p 67).

Uno, as, *Carm. Min.* iii, 649 : unati misero flammastis amore. — Tertull. *advers. Praxeam*, 27.

Vesco, is, *Carm. Min.* vi, 106 : Vescite fecundis gaudentes lusibus ambæ. — Tertull. *de Jejun.* v, *ex Num.* 11, 4. — De verbo vesci passive adhibito, Cf. Goelzer, op. cit., p. 354 ; — S. Hieron. *Epist.* xxxvii, 4.

## III

### DE PECULIARI QUORUMDAM VERBORUM SIGNIFICATIONE

*a*) Verba simplicia pro compositis sæpe ponuntur, etiamsi nullo modo idem significent :

Censere = recensere, *Orest.* 30 : Divitias Asiæ rex censens corde silenti.

Currere = percurrere, *Laud. Dei*, iii, 243 : Quod si cuncta velim miracula currere solers; 252 : Historias currant Danaum.

Donare = condonare, *Laud. Dei*, ii, 556 : (Deus) Datque repente pius veniam, donatque reatum; *Sat.* 291 : Si veniam frater fratri donare jubetur. — Cic. *ad Famil.* v, 4 ; — Justin. *Histor.* xxxii, 2; xxxviii, 6 ; — Ovid. *Pont.* ii, 7, 51.

Ferre = auferre, *Laud. Dei*, ii, 229 : Ut vitas hominum tantum mors una tulisset ; iii, 607 : Quidquid amara dies et tempora dura tulerunt ; *Sat.* 246 : Damna vel augmentum dant elementa, ferunt. — Verg. *Eclg.* v, 34 ; ix, 51.

Fundere = infundere, *Carm. Min.* vi, 23 : Per sensus te funde meos.

Hærere = inhærere, *Carm. Min.* II, 95 : cui junctus Hylas pulcherrimus hæret. — Plin. *Epist.* VII, 27 ; — Verg. *Æn.* x, 780.

Ire = abire, *Sat* 86 : itque reditque salus ; *Carm. Min.* VII, 76 : it dolor, ira redit. — Plaut. *Pseud.* I, 3, 12 ; — Ovid. *de Art. am.* III, 62 ; *Heroid.* XV, 61.

Jungere = conjungere, *Carm. Min.* I, 14 : Barbaris qui Romulidas jungis auditorio ; VI, 51 : Et sponsos his jungat amor ; 102 : et nuribus natos junxere parentes ; x, 289 : Jungitur Æsonidi fulgens Medea marito. — Sæpe apud latinos scriptores, v. g. Verg. *Æn.* VII, 485 ; — Cic. *Orat.* I, 51 ad fin. ; *Brut.* 97 ; *Tuscul.* v, 2, etc...

Linquere = delinquere, *Sat.* 39 : Liquit et antistes verus pater ille Joannis. — Ponitur etiam pro relinquere. *Carm. Min.* VII, 126 : Et (hominem) clausum liquisse diu. — In hoc sensu sæpe legitur apud scriptores, v. g. Horat. *Carm.* III, 8, 28 ; *de Art. poet.* 285, etc.

Propinquare = appropinquare, *Carm. Min.* x, 113 : quocumque propinquat (Cupido) ; 182 : Jamque propinquabant aris. — Verg. *Æn.* v, 85 ; XII, 150 ; — Tacit. *Ann.* XV, 39 ; — Stat. *Theb.* x, 385.

Rapere = eripere, *Orest.* 83 : Sic rapior cultris ; 468 : Si gremio Paridis remeans (vel remanens, ex codic.) est rapta Lacæna ; 742 : Pectora quæ nostro te tunc rapuere furori. *Laud. Dei*, I, 155 : Arida materies rapitur de corde fluenti. — Verg. *Æn.* v, 808.

Spectare = exspectare, *Laud. Dei*, III, 93 : Quod spectat finem fragile est. — Cic. *Somn. Scip.* 6 ; *ad Att.* II, 3 ; — Plaut. *Bacch.* I, 2, 1.

Spirare = exspirare, *Orest.* 757 : Et super ossa ruam recidens spirantis Egisti. — Cf. de hujus generis verbis, Goelzer, op. cit., p. 188.

Temnere = contemnere, *Carm. Min.* x, 460 : Et puerum

Veneris, quem jam tempsistis, amate. — Sæpe apud scriptores.

TESTARI = obtestari, *Laud. Dei*, II, 761 : (meruit) vitam Amissam reparare suam, testantibus illis. — Plaut. *Rud.* V, 2, 51 ; — Cic. *ad Quint. fratr.* I, 3 ; — Verg. *Æn.* II, 151 ; — Propert. II, 1, 37.

UNDARE = inundare, *Laud. Dei*, III, 103 : Non lacrimis undando genas. — Stat. *Achill.* I, 86 ; — Claudian. *in Rufin.* II, 67.

VENIRE = convenire, *Carm. Min.* VIII, 428 : Post signum venere rates, residente procella.

*b*) Mutua vice, verba composita pro simplicibus ponuntur :

ADESSE = esse, *Carm. Min.* I, 7 : Lenta tigris, cervus audax, mitis ursus Adfuit ; V, 29 : Obvius armato juveni si civis adesset ; *Orest.* 491 : Spes mihi major adest. — Plaut. *Amph.* II, 1, 29 ; II, 2, 21 ; — Cic. *de Fin.* II, 30 ; — Lucret. VI, 70.

ADOPTARE = optare, *Laud. Dei*, III, 530 : (Deus) Exhibet, impendit, præbet, testatur, adoptat Nos genitos vocitare suos ; *Sat.* 270 : Ut sit adoptavit (leonis) faucibus esca lepus.

EXPONERE = ponere, *Carm. Min.* VII, 73 : vacat expositis post prælia miles ab armis.

EXSPECTARE = spectare, *Laud. Dei*, I, 356 : Ac procul exspectat virides jumenta per agros ; III, 53 : Divitis exstincti tormenta exspectat egestas ; *Carm. Min.* IX, 20-21 : ac desuper orbem Exspectant stellasque vagas (ex codice **N** et de Duhn ; Baehrens scripsit aspectant) ; *Orest.* 777 : Exspectate vices (1) (Baehrens legit en spectate). Quomodo autem loco verbi spectare ab Afris adhibitum fuerit

(1) Cf. Rossberg. *Materialien*, II, p. 89.

exspectare explanat Thielmann, *Archiv für lat...* t. VIII, p. 522 (e præponitur ; item fr. gall. sperare = espérer ; spiritus = esprit ; stagnum = étang ; status = état, etc). — Plaut. *Aul.* IV, 8, 7 ; — Petron. *Satyr.* XVII ; — Paul. *Digest.* XLI, 1, 26. — Cf. *Archiv für lat...* t. IV, p. 49. — Spectare = exspectare, Cf. supra p. 71.

INESSE = esse, *Sat.* 158 : et hic sceleris certus adulter inest.

RECIDERE = cadere, *Orest.* 578 : Ante oculos recidisse suos muliercula tristis Adspiciat mœchum ; 757 : Et super ossa ruam recidens spirantis Egisti ; 762 : melius recides super ossa mariti. — Sæpe apud latinos scriptores, v. g. Cic. *de Nat. Deor.* II, 26.

REPELLERE = pellere, *Orest.* 603 : pius es pietate repulsa. — Colum. VII, 3.

RESERVARE = servare, *Laud. Dei*, II, 334 : et aer Et tellus accepta Dei præcepta reservant. — Cic. *ad Famil.* V, 4 extr.

RESUMERE = sumere, *Sat.* 237 : Nam, luna crescente, fretum crementa resumit.

RETICERE = tacere (Cf. supra Ignotus, p. 48).

RETINERE = tenere, *Sat.* 77 : facilis retinet natura volucres. — Plaut. *Epid.* IV, 1, 32 ; *Capt.* II, 3, 82 ; — Propert. II, 22, 5 ; — Cic. *Verr.* IV, 34.

*c*) Sed et alia verba insolentem habent significationem ; hæc sunt :

ABESSE = deesse, *Sat.* 10 : nam tibi tempus abest. — Cf. *Archiv für lat...* t. II, p. 165.

CONDERE = e nihilo facere, *Laud. Dei*, II, 299 : Gessit id impietas, cum primum conditur orbis. — In *Script. Sacr.* Marc. XIII, 19 ; — S. Hieron. *Epist.* CXL, 6 (Cf. Goelzer, op. cit., p. 228) ; sed multo sæpius, ad idem significandum, usurpatur CREARE, *Laud. Dei*, I, 9 : Vel quidquid natura

dedit præcepta creare ; 24 : Igne creata fovet ; 402 : His datur omnis humus, et quidquid jussa creavit ; 412 : totum quod terra creat ; II, 37, 93, 184, 194, 239, 251, 252, 260 ; III, 146, 518 ; — sæpissime in *Script. Sacr.* et apud ecclesiasticos scriptores.

Constare = esse, *Carm. Min.* VIII, 10 : quota portio patris Omnis constat homo ? IX, 180 : injuria constat Magnanimi juvenis. — Verg. *Æn.* V, 718 ; — Lucret. I, 507 ; — Plin. *Epist.* III, 13.

Dare = ponere, *Carm. Min.* II, 73 : dantur post terga pharetræ. — Significat etiam « trahere », *Carm. Min.* VIII, 140 : cadaver per montes, per saxa datum. — Tandem ponitur pro « mittere », *Carm. Min.* VIII, 460 : (augur) Quem fors ad Cyprum dederat per festa dierum.

Dejicere = abjectum ac vilem facere, *Laud. Dei*, I, 739 : (Deus) Dejicit elatos. — Hinc dejectus, a, um = humilis et vilis, *Laud. Dei*, I, 747 : Adspice despectum ; dejectum attolle parumper. — Tertull. *advers. Marc.* I, 6 ; — Cf. Goelzer, dejectio, op. cit., p. 262.

Dicere = jubere, *Carm. Min.* VIII, 177 : Dicite pastorem gladio pietatis obire. — Plaut. *Truc.* IV, 3, 75 ; — Cic. *ad Attic.* XI, 7 ; — Ovid. *de Rem. Am.* 505.

Dictare = dedicare, *Orest.* 31 : (Agamemnon) Maxima fulmineo dictabat dona Tonanti.

Disponere = agere, *Sat.* 106 : Quod male disposui, pænitet et fateor. — Significat etiam statuere, *Orest.* 155 : facinusque parare Disponit sub corde truci. — Ulp. *Dig.* XLIII, 29, 3 ; — Javolen. (II° sæcul.) *Dig.* X, 3, 18.

Distrahere = vendere, *Laud. Dei*, II, 510 : Sanguine distracti maculatur venditor. — Suet. *Vesp.* XVI ; — Tacit. *Ann.* VI, 17.

Esse = ire, *Sat.* 203 : in arma pares fuimus. — Cic. *ad Attic.* 16 : ad me mane Dionysius fuit (venit) ; — Varron.

apud Non. II, 499 : ad me fuerunt qui... = ad me venerunt qui. — Et, vice versa, ire pro esse adhibetur apud Senec. *Herc. Œt.* 282 : non ibo inulta ; — Claudian. *Consul. Honor.* IV, 108 : qui vindicet ibit.

Explicare = conficere, *Carm. Min.* x, 402 : mense peragras Quod Phœbus radians toto vix explicat anno. — Plin. *Epist.* VIII, 1 : iter commode explicui.

Exsistere = esse, *Sat.* 169 : Exstitit hic prudens, quia noluit esse cruentus ; *Orest.* 89 : Tu rapis ex aris animas et morte parata Mitior exsistens; 573 : Immemor exsistam tantorum in matre bonorum. — Cic. *ad Famil.* x, 6 ; *ad Attic.* x, 11 ; *Pro Rosc. Amer.* 2 ; — Senec. *Epist.* 91. — in *Script. Sacr.* Ep. ad Galat. I, 14.

Exstare = esse, *Laud. Dei*, II, 696 : Et quoties commotus eris, placidissimus exstas ; 731 : Solus enim Dominus, dominum qui non habet, exstat ; III, 247 : nec credulus exstet ; *Sat.* 156 : pius exstet homo ; *Carm. Min.* v, 90 : nec clam temerarius exstet ; x, 65 : licet immemor exstet Religionis amor ; *Orest.* 67 : Vivis an effigies et imago volatilis exstas ? Cf. *Ibid.* 324, 768. — Plaut. *Trin.* II, 4, 142 : nemo exstat qui ibi sex menses vixerit. — Coripp. *de Laud. Justin.* I, 136 ; III, 378 ; IV, 303. — Cf. *Archiv. für lat...* t. IV, pp. 47-48. — Cf. Manere, infra.

Intonare = alloqui, *Orest.* 714 : Intonat auctores scelerum.

Jaculatus, passive adhibitum, *Laud. Dei*, III, 495 : post sulfureos jaculati fulminis ictus. — Lucan. III, 568 ; — Tertull. *de Spectac.* 30 ; — Arnob. *Disput.* 5.

Jubere = petere, *Carm. Min.* x, 318 : jubet arma ministris.

Largiri = condonare, *Laud. Dei*, II, 605 : Largitur peccata. — Tacit. *Ann.* III, 70.

Manere = esse, *Orest.* 688 : Exsecranda prius, sed post veneranda manebis.

Mereri et Merere = obtinere, impetrare, *Carm. Min.* v, 51 : gaudebat turba reorum, Et veniam meruisse putant ; 329 : poteris sic astra mereri ; *Orest.* 753 ; Ast ubi nil potuit mulier de prole mereri ; 814 : Nam decet ultorem patris sibi quippe mereri. — *Laud. Dei*, i, 136 : Altera quippe dies cæli convexa meretur ; ii, 95, 614 : (fide) facile est nam posse mereri ; 670 : votum meruere suum ; iii, 241 : Omnia nam constat precibus cito posse mereri ; *Sat.* 92, 159, 180. — Plin. *Epist.* viii, 13 ; — Paul. *Dig.* xxxv, 2, 21 ; — S. Hieron. *Epist.* 96, 20 ; *in Ezech. ad* 8, 18, etc. Cf. Goelzer, op. cit., pp. 268-269.

Negare = impedire, *Carm. Min.* ix, 48 : Femina bella dedit, hæc femina bella negaret.

Parare = statuere, *Carm. Min.* ix, 79 : si forte canes laniare cadaver Ipse paras. — Plaut. *Pœn.* iv, 2, 86 ; *Mil.* i, 132 (paras ex codice ; attamen Baehrens scripsit probas).

Præstare = prodesse, *Sat.* 184 : Titus Si non præstaret, dicere sæpe solens.

Præsumptus, a, um, part. præter. verbi præsumere = audax, *Laud. Dei*, ii, 365 : Inde gigantæa moles præsumpta rebellat ; 728 : Ima levas, et celsa premis, præsumpta coercens Atteris ; iii, 278 : (militum manus) spe mortis præsumpta suæ ; *Orest.* 326 : præsumpta suæ dulcedine linguæ (præsumpta ex codicibus ; Cf. Rossberg, *Materialien*, i, p. 40 ; præfulta scripsit Baehrens). — Coripp. *de Bell. Lybic.* ii, 45 ; iii, 128, 138 ; iv, 904. — Cf. Goelzer, op. cit., p. 195, ad præsumptuose.

Rapere = concipere, *Carm. Min.* x, 222 : rapiunt præcordia flammas.

Receptare = acceptare, *Carm. Min.* viii, 180 : Cedo, loco si forte meo pius esse receptat.

Recurrere = accurrere, *Laud. Dei*, i, 599 : cunctis

animantibus aura recurrit ; *Carm. Min.* VIII, 109 : mater gavisa recurrit.

REDIENS, part. præs. verbi redire = iterum, *Sat.* 46 : Ut fieret rediens ungula fissa manus.

REFUNDERE = reddere, *Carm. Min.* IX, 148 : Priamo, generose, refunde cadaver. — Plin. *Paneg.* 31 ; — Ulp. *Digest.* XII, 4, 5 ; XV, 1, 9 ; XVIII, 2, 6 ; XIX, 5, 5.

RELINQUERE = sinere, *Orest.* 481 : tu, dux, impune relinques Tot scelerum auctores victricia regna tenere. — Horat *Sat.* I, 1, 52 ; — Sil. Ital. *Punic.* III, 708.

RENARRARE = respondere, *Carm. Min.* II, 45 : his læta Venus vultu mutata renarrat.

RESURGENTES, part. præs. verbi resurgere = post mortem ad vitam redeuntes, *Laud. Dei*, II, 544 : Ipse resurgentum (1) magna comitante caterva. — Sæpissime in *Script. Sacr.* — Lactant. IV, 19 ; — Tertull. sæpe ; — S. Hieron. Cf. Goelzer, op. cit., p. 76, ad « resurrectio carnis ».

REVOCARE = resumere, *Carm. Min.* V, 272 : (ferrum) quod in hostiles jugulos ex urbe tulisti, In patria revocare velit ?

RIDERE = non curare, *Carm. Min.* IX, 23 : rident sita membra putrentis Funeris... ut doleant animæ. — *Laud. Dei*, I, 426 : (cœperunt) ridere tenebras. — Apud Ciceron. *ad Quint. fratr.* III, 13, legitur ridere cum accusativo : risi nivem atram ; sed nusquam invenitur cum conjunctione ut.

SCRIBERE = promittere, *Orest.* 32 : (Rex) Optima Junoni scribebat munera magnæ. — Ex locutione « scribere nummos alicui », Plaut. *Asin.* II, 4, 34.

SEDUCTUS, A, UM, partic. præter. verbi seducere = decep-

(1) Ex Berolin. Centonibus.

tus, *Laud. Dei*, I, 477 : (mulier) tentat seducta maritum. — In *Script. Sacr.* Reg. IV, 21, 9 ; Esdr. II, 1, 7 ; Eccli. XIII, 10 ; Jerem. XX, 7 ; Thimoth. I, 2, 14 ; — S. Aug. *de Civit. Dei*, XIV, 11.

SEQUI = narrare, *Laud. Dei*, I, 10 : (Carmen Dracontii) sequitur variis sub casibus iras (Dei).

SONARE = dicere, clamare, *Orest.* 645 : per dulcia colla ruebat : « Vivis, alumne ? » Sonans. — Forsan ex Verg. *Georg.* III, 294 : Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum. — Significat etiam « vulgari », *Carm. Min.* V, 64 : Aut scelus hoc si forte sonet, tamen ille negabit ; VI, 115 : pectora fratrum, Quorum vota sonant ; X, 479 : Conventum pactumque sonant. — Ex Propert. IV, 9, 13, de Caco : furem sonuere juvenci. — Cf. Goelzer, op. cit., p. 306.

SPERARE = metuere, *Laud. Dei*, I, 509 : Et male venturas sperat sibi nauta procellas. — Verg. *Æn.* IV, 419 ; XI, 275 ; — Propert. II, 4, 3 ; — Stat. *Theb.* II, 607 ; VI, 138 ; — Flor. *Epitom.* III, 1.

SUBDUCERE SE = sensim se removere, *Orest.* 678 : ne se subducere possent. — Plaut. *Asin.* V, 2, 62 ; — Terent. *Eun.* IV, 7, 24 ; — Cic. *ad Quint. fratr.* III, 4. — Ita in sermone vulgari. Cf. Rossberg. *Materialien*, II, p. 78.

SUBMISSUS, A, UM, part. præter. verbi submittere = submersus, *Carm. Min.* X, 87 : maternis submissus aquis.

TENTARE = ad malum impellere, *Laud. Dei*, I, 477 (Cf. supra Seductus, p. 77). — Sæpissime in *Script. Sacr.* — S. Hieron. *in Is.* VI, *ad* 14, 7 sq. Cf. Goelzer, op. cit., p. 231. — Cf. supra Tentator, p. 8.

## V

### DE INCHOATIVIS ET FREQUENTATIVIS

*a*) Inchoativa plurima a Dracontio adhibentur, etiamsi rem tantum inchoatam nullo modo significent, v. g. *Laud. Dei*, I, 500 : (Deus) cui cuncta patescunt ; III, 558, de Adamo Deum alloquente et culpam confitente : Omne quod horrescis non me fecisse negabo. — Hæc sunt præcipua inchoativa a Dracontio usurpata :

Adcisco, *Laud. Dei*, III, 290 ; *Carm. Min.* X, 108.
Calesco, *Carm. Min.* II, 68.
Canesco, *Laud. Dei*, I, 191.
Claresco, *Ibid.* 135.
Compesco, *Laud. Dei*, II, 134, 476.
Crudesco, *Orest.* 102.
Decresco, *Laud. Dei*, I, 737.
Duresco, *Ibid.* I, 234, 261.
Fatisco, *Carm. Min.* II, 29; IV, 31.
Fervesco, *Ibid.* X, 326.
Flavesco, *Laud. Dei*, III, 27.
Fluesco, *Ibid.* I, 697.
Frondesco, *Ibid.* I, 666 ; II, 218, 221.
Horresco, *Ibid.* II, 558 ; *Carm. Min.* IV, 19.
Labasco, *Laud. Dei*, II, 40.
Languesco, *Ibid.* I, 675.
Liquesco, *Ibid.* I, 148, 504.
Madesco, *Ibid.* III, 215 ; *Carm. Min.* IX, 89.
Mitesco, *Carm. Min.* XI, 21.
Nascor, *Laud. Dei*, III, 228, 516, 614 ; *Carm. Min.* VII, 117 ; VIII, 280; *Orest.* 56 et 566.
Obstupesco, *Carm. Min.* I, 15.
Paciscor, *Ibid.* VIII, 23.
Pallesco, *Ibid.* II, 112.
Patesco, *Laud. Dei*, I, 500 ; II, 565 ; *Carm. Min.* VIII, 60.
Pavesco, *Carm. Min.* VI, 94.
Pinguesco, *Laud. Dei*, II, 85.
Pubesco, *Ibid.* III, 26 ; *Carm. Min.* II. 70.
Pulcresco, *Orest.* 128.
Putresco, *Laud. Dei*, II, 414 ; *Carm. Min.* IX, 89.
Quiesco, *Carm. Min.* VIII, 330 ; *Orest.* 14, 950.
Renascor, *Laud. Dei*, I, 625, 633, 634, 637, 683.
Rubesco, *Laud. Dei*, II, 479.
Senesco, *Laud. Dei*, I, 269 ; *Carm. Min.* VIII, 373 ; *Orest.* 583.
Tepesco, *Carm. Min.* VIII, 349 ; *Orest.* 583.
Torpesco, *Carm. Min.* X, 79, 228.
Tremisco, *Laud. Dei*, III, 541 ; *Carm. Min.* X, 464.
— Cf. Gamber, op. cit., p. 187, 6°. — Cf. *Archiv für lat...*, t. VII, p. 479.

*b*) Multo minora sunt frequentativa, sed pleraque actionis frequentiam non significant, v. g. *Laud. Dei*, III, 531 : (Deus optat) Nos genitos vocitare [vocare] suos ; *Carm. Min.* x, 363 : dormitat (dormit) serpens. — Hæc sunt frequentativa a Dracontio usurpata :

Cantare, *Laud. Dei,* III, 664.
Cantitare, *Carm. Min.* VII, 66.
Captare, *Ibid.* VIII, 547.
Crepitare, *Laud. Dei,* I, 241 ; II, 775 ; III, 188.
Decantare, *Laud. Dei,* I, 256.
Dictare, *Ibid.* II, 698.
Dormitare, *Carm. Min.* x, 363 (1).
Fluitare, *Laud. Dei,* I, 170 ; *Carm. Min.* II, 84.
Implicitare, *Laud. Dei,* II, 293.
Increpitare, *Orest.* 583, 734, 841.
Ostentare, *Orest.* 318 ; *Laud. Dei,* I, 230.
Palpitare, *Ibid.* 728; *Carm. Min.* V, 281 ; x, 244.
Receptare, *Carm. Min.* VIII, 180.
Sollicitare, *Orest.* 933.
Sustentare, *Laud. Dei,* I, 456 ; *Sat.* 103.
Tentare, *Ibid.* I, 264, 477 ; II, 218.
Vocitare, *Ibid.* III, 531.
Volitare, *Ibid.* III, 14 ; *Carm. Min.* VIII, 453.
Volutare, *Ibid.* I, 358.

Jam bene observatum est (2) multa franco-gallicæ linguæ verba simplicia sensu a frequentativis formis derivata esse, ut *épouser*, *fixer*, *jeter*, *poser ;* sic etiam, *capter*, *déchanter*, *dicter*, *solliciter*, *tenter*, etc... Cf. *Archiv für lat...* t. IV, pp. 197 sqq.

## V

### DE TEMPORIBUS

In temporum rationem quasi nullam diligentiam confert Dracontius; non solum enim inter se confundit diversa

(1) Nisi hic legatur dormierat loco dormitat, Cf. cod. et Rossberg, *Materialien,* I, p. 36.
(2) Cf. Ernault, *de Virgilio Marone,* p. 58.

præterita, aut præsens et futurum, sed etiam præsens et præteritum, quæ sine discrimine inter se commiscet. Hoc est certum indicium senescentis linguæ, et sermone vulgari omnino corruptæ (1). Sic usurpantur :

*a*) Præsens loco futuri :

Quis comes alter erit cum dat [dabit] fera bella noverca ?
(*Carm. Min.* II, 158.)

. . . . . . . . . . . . . scelerati pectoris ausum
Aggrediar meliore lyra, nam prodimus [prodemus] hostem.
(*Carm. Min.* VIII, 3.)

Dardanides quis murus erit post Hectora campo ?
Adversus Danaos quis Pergama fessa tuetur [tuebitur] ?
Puppibus argolicis Phrygios quis diriget ignes ?
Quis Telamone satum constans umbone tonantem
Sustinet [sustinebit], aut Teucri tolerat [tolerabit] per bella sagittas ?
Quis hostis Diomedis erit ? quæ turma furentem
Excipit [excipiet], in clipeum surgens cum torserit hastam
Turbine belligero ? quis non sine vulnere fractus
Concidit [concidet], et moriens tremibundos porriget artus ?
(*Carm. Min.* IX, 64-72.)

Rex ferus indutus veniet ; mutare necesse est [erit]
Indumenta duci. (*Orest.* 210.)

Impia sic Lachesis Parcarum lege bipenni
Censuerat regem tam turpi morte perire [periturum esse].
(*Orest.* 342-343.)

Transigo [transigam] funereum materna in viscera ferrum.
(*Orest.* 561.)

. . . . Jugulatricem patris dum vivere [victuram esse] censes.
(*Ibid.* 590.)

Et subito speret nos quarta luce venire [venturos esse].
(*Ibid.* 669.)

Cf. diversas lectiones *Orest.* 395-398

*b*) Futurum loco præsentis :

Sed cum perstat homo semper delicta sequendo,
Sentiet [sentit] iratum pœna plectente furorem.
(*Laud. Dei*, I, 96-97.)

(1) De temporum confusione, Cf. Goelzer, op. cit., p. 361, 5°; Gamber, op. cit., p. 186, 5°.

Judicio venturus erit [est]. (*Ibid.* II, 548.)
Et venturus erit [est] vindex. (*Orest.* 674.)
Hac venturus eris [es] (vel adventurus eris, ex Rossberg).
(*Carm. Min.* IX, 31.)
Quamvis nemo tua præconia congrua dixit,
Aut dicturus erit [est]. (*Laud. Dei,* III, 665-666.)
Medeam fixurus eris [es]. (*Carm. Min.* X, 144.)
Quid passurus erit [est]. (*Laud. Dei,* III, 74.)

Cf. *Archiv für lat...* t. III, p. 38.

Nam tua sunt quæcumque loquor, quæcumque canemus [canimus].
(*Carm. Min.* III, 20.)
Dat Venus uxorem, faciet [facit] te jure maritum. (*Ibid.* VIII, 229.)
Invidia mens summa caret, laudare decora
Novit, et ingentes attollere gestiet [gestit] actus.
(*Ibid.* IX, 6-7.)
Da veniam, juvenis ; magnum est punisse triumphos
Hectoris; hoc sat erit [est] quod de victore triumphas.
(*Ibid.* 49-50.)
. . . . . . . . morieris [moreris] inultus,
Et pastor tua regna tenet. (*Orest.* 478-479.)

*c*) Præteritum perfectum loco præsentis :

Mox solis radiare globum jubet igne salutis ;
Flamma salutaris perfundit lumine mundum ;
Cuncta salutifero rident elementa vapore
Cujus ab igne suo lunam jubet ire secundam,
Nigra tenebrarum corrumpere tempora noctis,
Et trepidum proferre diem comitante quiete ;
Candida somnigeris collustrat cornibus axes,
Quæ numero est crescente brevis, sed plena minore.
Flammeus ornatus cæli per sidera fulsit [fulget] ;
Officia et stellis, numeros et nomina jussit [jubet],
Tempora distribuit, loca contulit [confert], ignibus egit [agit],
Limitibus finxit [fingit], jubar induit, axe rotavit [rotat],
Cursibus aptavit [aptat], cæli regionibus addit.
(*Laud. Dei,* I, 206-218.)
Novimus astra poli confectos perdere cursus,
Transactasque simul sic repetisse [repetere] vias.
(*Sat.* 233-234.)

. . . . . . . . . . . . per nos nam bella geruntur ;
Juno, noverca furens, potuit [potest] quæcumque parare
Privigno. (*Carm. Min.* IV, 12-14.)

En totiens percussa lues magis exstitit [exstat] ardens,
Et nunquam sternenda venit. (*Ibid.* 33-34.)

. . . . . . . . Dolor est spectare cadentem,
Funera sive oculis vivum vidisse [videre] cadaver.
(*Carm. Min.* V, 279-280.)

At Venus attingens urbem petit antra mariti,
Neptunique domos intravit [intrat] Maximianas.
(*Carm. Min.* VI, 96-97.)

Dum loquitur, venit unda gravis, resonatque fragore,
Et puppim percussit [percutit] aquis.
(*Ibid.* VIII, 425-426.)

Pastor et ingentem vidit consurgere nubem
Pulveris extorti, movit [movet] quam turba sequentum.
(*Ibid.* 542-543.)

Ignea sidereo componit spicula nervo,
Misit [mittit] arundineum per flammea cornua ferrum,
Stridula tela volant. (*Ibid.* X, 220-222.)

Pix et stuppa ligat ; species dat quattuor aris,
Mascula tura cremans ; sterili suffire cypresso
Cura fuit [est], cyproque ligat.
(*Ibid.* 486-488.)

Conticuit [conticet] genitor, dum vultus gaudia rorant.
(*Orest.* 63.)

Fama Mycenæas volitans repleverat oras
Advenisse [advenire] ducem. (*Ibid.* 109-110.)

Victima servaris, fuerit [sit] nisi victima mater.
(*Ibid.* 601.)

Verg. *Æn.* VI, 78-79 ; Horat. *Carm.* III, 4, 51-52 ; Cf. Riemann, *Syntaxe latine*, pp. 233-234.

*d*) Præsens loco præteriti perfecti :

Judicio venturus erit post sæcla futuro
Reddere mercedem quam quisque meretur [meritus est].
(*Laud. Dei*, II, 548-549.)

Sed bonus excepit, quod tunc male fecit iniquus,
Quod populos gentesque docens convertit (1) eundo
Per mare, per terras, ut Christi nomen adorent
Gentilesque deos et cordibus idola pellant.
(*Ibid.* 576-579.)

Dum lueret victor pœnas virtutis honestæ,
Maxima justitium victoria grande paravit,
Vindicat [vindicavit] hostiles gemitus fera dextra parentis,
Sanguinis ingessit pietas inimica dolorem.
(*Laud. Dei*, III, 371-374.)

Sic mea corda Deus, nostro peccante reatu
Temporis immodici pellit [pepulit] ad illicita.
(*Sat.* 19-20.)

Persarum regem Babylonæ regna tenentem
Post decus imperii quis neget esse [fuisse] bovem ?
(*Sat.* 31-32.)

Poscere quem veniam decuit, male suscitat [suscitavit] iras,
Et dominum regemque pium servire coegit.
(*Carm. Min.* VII, 130-131.)

. . . . . . . . . . . . . hæc imperat Argis
Per quos vita perit [periit]. (*Ibid.* VIII, 338-339 ; *item* 375.)

. . . . . Dixere vale, regemque salutant [salutaverunt]
(*Ibid.* 379.)

A quo victus abit [abiit], qui impressit vulnera Marti.
(*Carm. Min.* IX, 74 )

. . . . . . Da veniam si corruis [corruisti] ense deorum.
(*Orest.* 69.)

Inde ferox percussus obit [obiit] sub morte securis
Atque sua proles jacuit modo vindice fluctu.
(*Orest.* 392-393.)

Raptor obit [obiit] Pyrrhus, justo mucrone peremptus.
(*Ibid.* 954.)

Sic etiam participium præsens participii præteriti activi loco nonnunquam adhibet Dracontius :

Et cinis exstinctus gelida moriente [mortua] favilla
Tollitur... (*Laud. Dei*, I, 661.)

(1) Præsens indicativi (loco præteriti perfecti), nam præsens subjunctivi sequitur.

Item : non jam moriente [mortuo] marito, *Carm. Min.* VIII, 538 ; nutritor erat fugientis [qui fugerat] Orestis, *Orest.* 353 ; Troja pereunte [quæ periit] sub armis, *Orest.* 703 ; Criminibus ne fructus eat morientis [mortui] amoris, *Ibid.* 764. — Sedul. *Carm. Pasch.* II, 95 ; III, 130 ; — Coripp. *de Bell. Lybic.* III, 73, 130 ; VIII, 635. — Cf. *Archiv für lat...* t. IV, pp. 49-51.

*e)* Imperfectum loco præsentis :

Membra pudenda putat partem, quæ est prolis origo,
Et qua ventris erat [est] digestio, turpis habetur.
(*Laud. Dei*, I, 485-486.)

. . . . . . . . Deus imperat ambos
Sedibus egressos placidis, dominentur ut orbi
Ac totum quod mundus habet, sub jure tenerent [teneant].
(*Ibid.* 570-572.)

Inde gigantæa moles præsumpta rebellat
Sacrilega cervice tumens, quodcumque valebat [valet]
Aut poterat [potest] stolido sibi demens arrogat ausu.
(*Ibid.* II, 365-367.)

Luminis impatiens, ut jam remearet [remeet] ad auras
Æthereas orat Dominum. (*Ibid.* 537-538.)

Si Deus ullus erat Saturnus falcifer unquam
Hoc faceret, puerosque neci subduceret omnes
Annua quos pietas flebat [flet] miseranda parentum.
(*Ibid.* III, 113-115.)

Frons nudata decet diviso fulgida crine ;
Et velut invitos gressus pudibunda movebat [movet]
Incedens, fluxoque latent sub tegmine pennæ.
(*Carm. Min.* II, 87-89.)

Lætatur gaudens, et tantum voce dolebat [dolet].
(*Ibid.* VIII, 609.)

. . . . . . . . Priamus jacet, oscula plantis
Rex senior dans ipse tuis, nec turpe putabat [putat].
(*Ibid.* IX, 171-172.)

Fessulus et gremio matris libratur anhelans
Quo sessurus erat [est]. (*Ibid.* X, 123-124.)

Blanda Libido coit, simplex Affectus inhæret,
Ludicra puniceis resonabant [resonant] Oscula labris,
Dant faciles plausus Concordia, Gratia, Lusus.
(*Carm. Min.* x, 264-266.)

Mox Colchis se spargit aquis et sulphure adusto
Cum tædis fumans purgabat [purgat] membra sacerdos.
(*Ibid.* 391-392.)

Femineas ostentat opes quas sexus habebat [habet].
(*Orest.* 318.)

Cunctis nosse licet, solis rescire negatur
Complicibus scelerum, ne se subducere possent [possint].
(*Ibid.* 677-678.)

Dixerat, et trepidus muros circum inspicit hospes ;
Quà meminit, carpebat [carpit] iter comitatus amico.
(*Ibid.* 693-694.)

Hostia, dic, quis eras [es], aut cur Agamemnona clamas ?
(*Ibid.* 875.)

Tandem de Oreste a furiis agitato :

. . . . . . . matrem putat esse sodales ;
Mater erat [est] quicumque fuit [est] ; vicinus ubique
Aspis et ignis erat [est] ; fugit hos, simul adpetit illos.
(*Ibid.* 850-852.)

*f*) Præsens loco imperfecti :

Nam cui bella negant [negabant], fecerunt jurgia mortem.
(*Laud. Dei,* III, 272.)

Quando fames rabidi quamvis jejuna leonis
Ut sit [esset] adoptavit faucibus esca lepus.
(*Sat.* 269-270.)

Non lupum timebat agna, non leonem caprea,
Non lepus jam præda sævo tunc molosso ducitur [ducebatur].
(*Carm. Min.* I, 8-9.)

Tunc pater absenti tumulum formabat inanem,
Ut jacuisse putes [putares] præsenti morte cadaver.
(*Ibid.* VIII, 610-611.)

. . . . . . . . me vita pia promovit ad urnam
Humani ut generis laudes et crimina quæram [quærerem].
(*Ibid.* IX, 129-130.)

Dona Clytemnestræ non dignæ multa parabat,
Plurima subridens genitor disponit [disponebat] Oresti
Quæ aptabat pietatis amor. (*Orest.* 36-38.)

*g*) Plusquamperfectum loco præsentis :

. . . . . . . . . . . . . venit ecce noverca
In manibus jam Juno meis, supplexque precatur
Quæ fuerant [sunt] optanda mihi.
(*Carm. Min.* x, 134-136.)

. . . . . . . . . . . . . . Sic fata, coronam
Tollit, et insontem fingit se ; tecta Creontis
Venerat [venit] ; oblata sponsæ dat serta puellæ.
(*Ibid.* 510-512.)

*h*) Plusquamperfectum loco perfecti :

Hæc ait : O faciles, Penei numina, Nymphæ,
Dicite quando parem natum natura dedisset [dederit].
(*Carm. Min.* II, 102-103.)

. . . . . tela gerit quibus auctor Achillis
Arserat [arsit] Æacides Nymphæ radiatus amore.
(*Carm. Min.* VII, 17 ; *Ibidem*, 19.)

En caret igne rogi, dederat [dedit] qui Pergama flammis.
(*Orest.* 277.)

Viderat [vidit] Atrides muros quos liquerat infans.
(*Ibid.* 685.)

Dixit et exertum costis immerserat [immersit] ensem (1).
(*Orest.* 724.)

Forsitan objiciat : fuerant [fuerunt] cur ergo furores ?
(*Ibid.* 931.)

Idem semper eris, qui es modo vel fueras [fuisti].
(*Sat.* 8.)

De Adamo et Eva nuper creatis :

Nescia mens illis, fieri quæ causa fuisset [fuerit].
(*Laud. Dei*, I, 398.)

(1) In hoc versu, ait Rossberg (*Materialien*, II, p. 83), adhibetur plusquamperfectum ad significandam celeritatem.

*i*) Plusquamperfectum loco imperfecti :

Si justis solem Dominus pluviasque dedisset [daret]
Nec daret injustis, quæ fuerat [esset] pietas ?
(*Sat.* 293-294.)

. . . . . . . . . . per lustra ferarum
Venandum fuerat [erat] ; socios venatus habebat.
(*Orest.* 295-296.)

Et hoc est enuntiatum conditionale, omissa conjunctione si ; sic fr. gallice : fallait-il braver un danger, il était toujours prêt.

. . . . . . . proludere telis
Si fuerant [erant] animi, juxta jaciebat uterque.
(*Ibid.* 298-299.)

Nec fuerat [erat] quisquam qui non damnaret Egistum.
(*Ibid.* 802.)

Littora contigerat, fuerant [erant] ubi templa Dianæ.
(*Ibid.* 867.)

Cf. *Laud. Dei*, II, 431, 786 ; III, 212, 444. *Sat.* 302.

*j*) Imperfectum loco plusquamperfecti :

. . . . . . . intactæ senuissent floribus herbæ
Ni pascenda daret [dedisset] tellus jumenta per agros.
(*Laud. Dei*, I, 269-270.)

Quid facerent [fecissent] fratres, si florea rura petissent,
Si tellus fecunda foret [fuisset] nimis ubere glebæ ?
Aut si vipereis non esset [fuisset] noxia tellus
Flatibus, et nullas mandarent [mandavissent] sibila mortes ?
Nonne pererrantes issent.... (*Laud. Dei*, III, 301-305.)

Scinderet [scidisset] ungue secans vultus pia turba modestos.
(*Ibid.* 379 )

. . . . . . . . . . Si Domini gravis ira fuisset,
Non me differres [distulisses], subita sed morte necares [necavisses].
(*Ibid.* 659-660.)

(Titus) si non præstaret [præstitisset], dicere sæpe solens.
(*Sat.* 184.)

Nec populus liber capto de monte rediret [rediisset],
Plebs nisi sumpsisset cum libertate triumphum.
(*Carm. Min.* v, 258-259.)

. . . . Regni pars justa detur, ne vindicet Ajax
Quod matri donasset avus si Troja maneret [mansisset].
(*Carm. Min.* viii, 314-315.)

Regis nata decens fuerat [erat] pulcherrima Glauce.
(*Carm. Min.* x, 369.)

Et poterant fuscare diem, corrumpere ventos
Ni Phœbus rubuisset avus de crimine neptis
Et totum meliore coma perfunderet [perfudisset] orbem.
(*Carm. Min.* x, 567-569.)

. . . . . (Hector) cui vita daretur [data fuisset]
Ante aciem si visa foret (Polyxene) tibi ; quæque peregris
Femina bella dedit, hæc femina bella negaret [negavisset].
(*Carm. Min.* ix, 46-48.)

*k*) Imperfectum loco perfecti :

(Regulus) Immemor uxoris natos contempsit et urbem ;
Libertatis opem nec ferrea vincla tenebant [tenuerunt].
Captivum tum forte ducem jam liber agebat [egit].
(*Laud. Dei*, iii, 414-416.)

Non erat [fuit] impunis Paris arbiter ille dearum,
Teresias nec erat [fuit] judex impune Tonanti.
(*Orest.* 952-953.)

Sed nec solus erat [fuit] quem spes secura futuri
Egregie faceret [fecerit] præsentem temnere vitam.
(*Laud. Dei*, iii, 164-165.)

*l*) Gerundii ablativus loco participii præsentis :

Si jugulet miseros injusta morte necando [necans].
(*Carm. Min.* v, 101.)

Pectore sublatus linguam vibrando [vibrans] trisulcam.
(*Orest.* 226.)

Forsitan opponunt homines delicta fatendo [fatentes]
Angelicum peccasse genus.
(*Laud. Dei*, ii, 457.)

Itque reditque suos repetendo [repetens] spiritus haustus.
(*Laud. Dei*, i, 592.)

Nil reputando [reputans] Deo, per quem valet omne quod exstat.
(*Laud. Dei*, II, 368.)

Immo, participium gerundio supponitur in hoc versu :

Non lacrimis undando genas, non unguibus ora
Dilacerans.
(*Laud. Dei*, III, 103.)

## VI

### DE MODIS

*a*) Dracontius utrum inter se discrepent modi non semper curat, et eos commiscet, quasi minime differri profiteatur :

Nunc ubi *sit* pietas, ubi *sit* miseratio prisca,
Aut tua quo, Domine, clementia nota *recessit*.
(*Laud. Dei*, IV, 578-579.)

Sæcula quod *fuerant* transacta ad tempora Noe,
Et scelus assiduum, vel sæva piacula mundus
*Adderet*, et nullus hominum *retineret* honestum,
Nec tamen ulla simul processit pœna reorum.
(*Ibid.* II, 361-364.)

*b*) In interrogationibus indirectis, sæpe indicativus adhibetur :

Exegit quid plena fides et credula dixi.
(*Laud. Dei*, II, 674.)

Quid timet aut optat, vos saltem advertite, cives.
(*Carm. Min.* V, 86.)

. . . . . . . . . . . . ad aulam
Rex Talamon venisse tuam quæ causa coegit
Insinuare decet. (*Ibid.* 261-263.)

Dic, si vis armare rates, ubi carbasa tendis.
(*Carm. Min.* VIII, 222.)

Invenient ungues quanto descendit hiatu
Hasta potens, quantum sedit vulcanius ensis.
(*Carm. Min.* IX, 184-185.)

Ut nossent quid puppis erat, quid vela, quid arbor.
(*Ibid.* X, 46.)

. . . . . . . . . . ; monstrare Pelasgis
Quid conjux, quid fata valent. (*Ibid.* 356-357.)

Dic igitur qua sorte manes a matre dirempta.
(*Orest.* 71.)

Cf. etiam *Laud. Dei*, I, 712 ; II, 258 ; III, 281 ; *Carm. Min.* II, 92; VIII, 30, 244, 262 ; IX, 203.

Hic loquendi modus apud poetas non insolens est, v. g. Inspice si possum donata reponere lætus (Horat. *Epist.* I, 7, 38). — Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis (Verg. *Æn.* IX, 269) ; sed præsertim a comicis usurpatur, Cf. Goelzer, *Grammaticæ... observationes*, p. 55 et n. 2 ; ita et a Dracontio, et hæc est sermonis vulgaris nota (1). — Sæpe invenitur in *Script. Sacr.*, v. g. Matth. XII, 4 ; Marc. II, 26 ; Luc. XII, 27 ; XXIV, 6, 20, 35 ; Act. Apost. X, 38, etc...

Interdum etiam subjunctivum indicativo apponit Dracontius :

Omnibus ostendit Domini sententia lata
Quid peccata *creent*, quid justi vita *meretur*.
(*Laud. Dei*, II, 803-804.)

Tu, Deus omnipotens, nosti quo *feceris* orbem
Semine, quo cælos, solem, lunamque *creasti*.
(*Ibid.* 193-194.)

Sed voluit monstrare Deus qua mente *rogetur*,
Qualiter omnipotens se *vult* et *jussit* amari.
(*Laud. Dei*, III, 129-130.)

(1) De indicativo in indirectis interrogationibus apud S. Hieron., Cf. Goelzer, *Latinité de S. Jérôme*, p. 355.

*c*) Subjunctivus pro indicativo in aliis locis adhibetur :

Ac mutent [mutabunt] elementa vices per circla morantes,
Et cadat [cadet] ante diem sublimis machina rerum.
(*Laud. Dei*, II, 54-55.)

Pontifices Helenus, Laocon (*Baehrens*, Laucon) sacrata potestas,
Cedent oranti nec mysticus exstet [exstabit, erit] uterque.
(*Carm. Min.* VIII, 181-182.)

Dicet avus puero : pater est quos videris [vides] artus.
(*Carm. Min.* IX, 168.)

. . . . . . . . . . . . Secreta polorum
Cognosco, si morbus erit, si bella parentur [parabuntur],
Si pluet, aut flamma cælo rutilante coruscet [coruscabit].
(*Ibid.* X, 347-349.)

*d*) Vice versa, indicativus pro subjunctivo ponitur :

Si justis solem Dominus pluviamque dedisset,
Nec daret injustis, quæ fuerat [esset] pietas ?
(*Sat.* 293-294.)

Post aciem dominus mitis qui vicit avetur [aveatur],
Atque ex hoste meet simplex ac fidus amicus.
(*Carm. Min.* V, 19-20.)

Cf. S. Aug. *Tract.* 50 *in Joann.* — In *Script. Sacr.*, Matth. XXVI, 24.

*e*) Infinitivus, post verba quibus motio significatur, supini vice fungitur ; eat movere (*Laud. Dei*, I, 283) ; — venturus erit reddere (*ibid.* II, 549) ; — ibunt gestire (*Carm. Min.* VII, 150) ; — capitolia celsa petebat Reddere vota Jovi (*Carm. Min.* VIII, 82) ; — veniunt ad sacra Cytheræ Reddere vota deæ (*ibid.* 436) ; — venientem sacra dicare (*Carm. Min.* VIII, 573) ; — veniunt reddere (*Carm. Min.* IX, 436) ; — pergo reddere (*Orest.* 99) ; — it raptare (*Orest.* 311) ; — imus donare (*Ibid.* 586). — Ita Plaut. *Bacch.* IV, 3, 18 ; *Curc.* 206 207. — Terent. *Eun.* III, 3, 22 ; *Phorm.* 102. — Verg. *Æn.* I, 531. — Valer. Flacc. VI, 647. — Stat *Theb.* V, 21. — In *Script. Sacr.*, Psalm. XCV, 12;

Matth. xxv, 10 ; Luc. xiv, 19 et 31 ; Joann. xxi, 3, etc. — Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 370 ; *Grammaticæ... observationes*, pp. 59-60 ; — Riemann, op. cit., p. 5 et p. 436. Rem. i, qui notat hoc indicium proprium esse vulgaris sermonis.

*f*) Infinitivus, post substantivum, gerundii loco adhibetur :

Consilium mendax sollerti pectore sumpsit
Fingere quod pelagus rabidum demersit Atridas.
(*Orest.* 354-355.)

## VII

### DE VERBORUM COMPLEMENTIS

*a*) Jam multa notata sunt ubi de substantivorum casibus agitur, Cf. supra pp. 30-36.

*b*) Complura verba quæ, apud egregiæ latinitatis scriptores, transitiva sunt, intransitive usurpantur :

Concludere, *Carm. Min.* vii, 137 : Sed ne mæsta canens concludat carmen amoris (1).

Crispare, *Carm. Min.* ii, 86 : Et vento crispante gradu coma fluctuat acta ; viii, 352 : leonis Ira fremit, cum lata procul venabula cernit Venantis crispare manu; *Ibid.* 412 : cauda crispante ; *Laud. Dei*, i, 238 : Et crispante freto perflabant naribus undas. — Plin. *Hist. Nat.* ii, 82, 84 ; xvi, 16, 28 ; — Pers. *Sat.* iii, 87. — Cf. *Archiv für lat...* t. IV, p. 46.

Domare et Verberare, *Laud. Dei*, i, 190-191 : Non glacies districta domat, non grandinis ictus Verberat.

(1) Attamen *os tacitum* (v. 139) haberi potest subjectum verbi concludat ; Cf. *Archiv für lat...* t. IV, p 47.

JUNGERE, *Carm. Min.* VII, 33 : Bybliades Satyris jungant; 35 : Oreades Faunis jungant ; 57-58 :

> Tot bona proveniant sponsis, quot dextra parentum
> Jungit amoriferis per festa jugalia palmis.

Ex codicibus et ex Rossberg, Cf. *Archiv für lat...* t. IV, p. 45. Baehrens scripsit Bybliadas, Oreadas, amoriferas palmas.

MERGERE, *Carm. Min.* X, 499 : Ne dispersa fluant aut mundi machina mergat ; *Orest.* 373 : Vidi ego mergentem fluctu sorbente carinam; forsan *Laud. Dei*, I, 158 : pars flumine mergit, Cf. *Archiv. für lat...* t. IV, pp. 44-45.

MINUERE, *Laud. Dei*, I, 736 : Et minuantur aquæ, luna minuente, liquentes. *Sat.* 237-240 :

> Nam luna crescente, fretum crementa resumit,
> Qua minuente polis, est minor unda maris.
> Cythia dum crescit, fontes et flumina crescunt,
> Hæc eadem minuunt, Cynthia dum minuit.

Pallad. *de Re Rust.* III, 24 ; — Cæs. *de Bell. Gall.* III, 12 ; — Cf. *Archiv für lat...* t. IV, p. 44.

RUMPERE, *Laud. Dei*, I, 631 : Ambrosio reduces rumpunt de cortice fructus (ex Rossberg, Cf. *Archiv für lat...* t IV, p. 47 ; Arevalo scripsit rumpuntur). — *Ibid.* 689 ; Unus ubique Deus dum jussio rumperet una (versus parum certus ex codicibus; Arevalo proponit : dum jussum rumperet unum). — *Carm. Min.* V, 17: dum classica rumpunt; X, 579 : Rumperet ensiferis cum ferrea messis aristis; XI, 4 : Cortice turgidulo rumpunt in palmite gemmæ. — De Rumpere intransitive usurpato, Cf. *Archiv für lat...* t. IV, p. 47.

SERENARE, *Carm. Min.* X, 174 : Et magis accessu pueri plaga mæsta serenat.

SOLIDARE, *Laud. Dei*, I, 152 : (tellus), Et, solidante

globo, gravior per inane pependit. — Arevalo proponit : et solidata globo.

Temperare et Frangere, *Carm. Min.* viii, 330 : Temperet invidia, frangat dolor.

Tractare [mente agitare], *Carm. Min.* v, 76 : Et tractet de clade viri, de morte mariti ; [disserere], *Orest.* 334 : de sexu femina tracto. — Suet. *Aug.* xxxv. — Absolute adhibetur idem verbum, *Orest.* 920 : tractate, verendi.

*c*) Pauca sunt addenda, quæ minus ad verborum complementa quam ad pronuntiata complementorum vice fungentia pertinent :

Deflere infinitivum cum accusativo accipit, loco conjunctionis quod vel quia, *Laud. Dei*, ii, 536 : legem violari deflet Averni. — Cf. Riemann, op. cit., p. 316, Rem. i et p. 281, Rem. ii.

Facere [efficere] infinitivum cum accusativo accipit, loco subjunctivi cum ut, *Laud. Dei*, ii, 725 : Et proceres servire facis, famulosque jubere ; *Sat.* 13 : Qui facis iratus homines contraria velle ; — Varr. *de Re Rust.* iii, 5, 3. — Sic in sermone vulgari, Cf. Riemann, op. cit., p. 285, Rem. iv ; — Cf. *Archiv für lat...* t. III, pp. 177 sqq. — In *Laud. Dei*, i, 731, facere accipit subjunctivum, sed sine ut : Qui facit æternam mortalia lege latenti Membra tegant animam.

Imperare accusativum cum infinitivo accipit, quod apud latinos scriptores raro evenit, Cf. Riemann, op., cit., p. 282, § 180, a) 1°) ; *Orest.* 46 : Imperat hinc dominus prædam præire Mycenis.

Trahere [adducere] accusativum cum infinitivo accipit, loco subjunctivi cum conjunctione ut, *Orest.* 322-323 : proceresque novos veteresque trahemus In nostram transire fidem.

JUBERE subjunctivum cum vel sine conjunctione ut accipit :

Propitiusque jubes ut bona cuncta gerant.
(*Sat.* 14.)

Qui superest pugnæ, vivat ut ipse, jubes.
(*Sat.* 126.)

Mox jubet ut generum vel pignus ad aulam
Ejecto terrore rogent.
(*Carm. Min.* x, 335-336.)

Sic sapiens olim Romana potentia jussit
Ne pereat Carthago nocens.
(*Carm. Min.* v, 108-109 )

Qui, lunæ crescente globo, jubet æquora crescant.
(*Laud. Dei,* I, 733.)

Paupertate jubes opulentos turpis egestas
Urgeat. (*Ibid.* II, 726-727.)

. . . . . . . atque suum solium jubet omnis adoret.
(*Ibid.* III, 181.)

. . . . . . . . . . Phrygibus tamen arma capessant,
Rex dilecte, jubes. (*Carm. Min.* VIII, 552-553.)

Despiciat me sæpe jubes, nec castus Olympum
Destituat. (*Carm. Min.* x, 73-74.)

Nomina vestra tenens, quasi jusseris ipse venirem.
(*Orest.* 77.)

Immo accidit ut simul accusativum cum infinitivo et subjunctivum adhibeat Dracontius :

. . . . . . . . . . . . tamen ipsa jacentem
Tendere colla jubet, vel [et] pectora prona supinet.
(*Carm. Min.* x, 196-197.)

Plaut. *Amph.* I, 1, 50 ; — Terent. *Eun.* IV, 4, 24 ; — Horat. *Sat.* I, 4, 121. — S. Aug. *de Civit. Dei*, III, 21 ; — Macrob. *Saturn.* I, 12, 28. — Sic in sermone vulgari, Cf. Riemann, op. cit , p 295, n. 2.

Optare cum infinitivo et accusativo aut cum simplici infinitivo, loco subjunctivi cum conjunctione ut, adhibetur :

. . . . . . . optas homines his ignibus ustos.
Illicitos violare toros.
(*Carm. Min.* II, 36-37.)

. . . . . . . . . . . succedere umbras
Exoptant paribus votis spatiumque moratum
Lucis adoptatæ transire in tempora noctis.
(*Carm. Min.* VI, 116-118.)

Vitricus optabit tali se morte perire.
(*Orest* 598.)

Optarim revidere meos, iterumque reverti.
(*Carm. Min.* X, 355.)

(Deus adoptat) nos genitos vocitare suos.
(*Laud. Dei*, III, 531.)

Terent. *Hecyr.* IV, 4, 39. — Cf. Riemann, *Syntaxe latine*, pp. 282 et 295.

Probari simplicem infinitivum accipit loco accusativi cum infinitivo : Credantur nil posse, simul nihil esse probentur (*Laud. Dei*, II, 583). — Cf. Goelzer, *Grammaticæ... observationes*, p. 66 ; *S. Jérôme*, p. 373, § 3.

Vetare accipit subjunctivum cum conjunctione « ne », loco infinitivi cum accusativo : Quos ne contingat furia accumbente vetatur. — Cf. Riemann, op. cit., p. 306, § 189.

## VIII

### DE VERBIS SUBSTANTIVORUM MORE USURPATIS

*a*) **De Infinitivo.**

Infinitivus subjecti vice fungitur, *Orest.* 293 : Velle fuit commune viris, et nolle duobus; Cf. *Orest.* 774 ; *Carm. Min.* II, 134. — Sed, quod omnino rarum est, et,

ut ita dicam, pene contra omnia latinorum scriptorum exempla, indirecti complementi more usurpatur, *Laud. Dei*, I, 367 : Velle pares et nolle pares (erant) h. e. voluntate et noluntate pares. — Verg. *Eclg.* VII, 5. — Cf. *Archiv für lat...* t. III, pp. 82 et 90.

*b*) **De participio præsenti.**

AMANS, *Carm. Min.* II, 114 : ad crines digiti mittuntur amantum ; VIII, 307 : thalami damnentur amantum; X, 54 et 182: numen amantum (Venus); 66 : timeant nec fulmen amantes ; 344 : non fallis amantem ; XIII, 9 : color est hic semper amantum ; *Orest.* 335 : animos reparavit amantis. — Terent. *Andr.* III, 3, 23 ;— Ovid. *de Art. Am.* I, 633 ; — Propert. II, 13, 65.

ANIMANS, *Laud. Dei*, III, 22 : datur cunctis animantibus esca. — Cic. *de Nat. Deor.* II, 47 ; — Lucret. I, 350 ; II, 941 ; — Horat. *Sat.* II, 1, 39 ; — Lactant. II, 11.

DEPRECANS, *Carm. Min.* I, 21 : Ergo deprecantis, oro, cinge lauro tempora.

EGENS, *Laud. Dei*, II, 687 : Confovet abjectos, et semper pascit egentes; *Carm. Min.* V, 172 et 286 (Cf. supra Fortis, p. 47) ; VI, 87 : mercede sua multos conjunxit egentes. — In *Script. Sacr.* Prov. XIV, 31 ; Eccli. XXXVI, 27.

ERRANS, *Laud. Dei*, I, 95 : (Deus) Corrigit errantem ; III, 594 : Punisti errantem, nunc jam miserere fatenti.

FATENS (Cf. supra Errans).

JACENS, *Laud. Dei*, II, 686 : Erigit elisos, relevat tua dextra jacentes; III, 202 : ne bestia membra jacentis Vexet; item Cf. *Append.* 605[36] ; attolle jacentem. — Cic. *de Philos.* XII, 2.

JUBENS, *Laud. Dei*, II, 171 : Africus interea motus virtute jubentis. (Cf. supra p. 10.)

Natans, *Laud. Dei*, ii, 791 : Laudavere Deum populus de morte natantum. — Verg. *Georg.* iii, 541 ; — in *Script. Sacr.* Is. xxv, 11.

Nocens, *Laud. Dei*, i, 30 : nunquam punire nocentes Assumit ; ii, 322 : faciunt pejora nocentes ; 711 : impune diu peccare nocentum Si fuerit permissa manus ; iii, 121 (Cf. supra Insons, p. 49) ; *Carm. Min.* viii, 170 : sed vos mactate nocentem ; x, 543 : satis est punisse nocentes. — Ovid. *Pont.* i, 8, 19 ; — in *Script. Sacr.* Psalm. xxvi, 2 ; xxxiv, 1 ; xvi, 7 ; Baruch iv, 31.

Peccans, *Laud. Dei*, i, 93 : Ni vitium peccantis agat perstando maligne ; ii, 699 : si peccantes agnoscant corde reatus. — Senec. *Epist.* 67 ; — Corn. Nep. *Agesil.* 5 ; — sæpe in *Script. Sacr.* v. g. Eccli. x, 32 ; xi, 1 ; xx, 10, 11, etc.

Precans, *Carm. Min.* viii, 451 : (Venus) cui turba precantum Vel concentus erat. — Plaut. *Rud.* i, 5, 2 ; — Val. Flacc. ii, 240.

Rebellans, *Sat.* 133 : Turba rebellantum quoties duravit in armis.

Resurgens, *Laud. Dei*, ii, 544 (Cf. supra p. 77).

Rogans, *Laud. Dei*, ii, 762 : (Tabitha) proprias fundebat opes, miserata rogantum ; iii, 601 : miserere roganti ; *Sat.* 311 : succurre roganti. — Ovid. *Fast.* vi, 70.

Sitiens, *Laud. Dei*, ii, 175 : sitientibus autem Flumina petra dedit ; 688 : Pocula larga parans sitientibus. — Sæpe in *Script. Sacr.*, v. g. Job v, 5 ; Is. xxi, 14 ; xxxii, 6 ; xliv, 3 ; lv, 1, etc.

Tonans, *Carm. Min.* ii, 19 : si cupias ipsum flammare Tonantem ; iv, 14 : natum quem comprobat esse Tonantis ; *Orest.* 953 : nec erat judex impune Tonantis (Cf. supra p. 10). — Sæpe apud scriptores, v. g. Ovid. *Heroid.* ix, 7 ; *Fast.* ii, 69 ; *Metam.* i, 170, etc...

Venans, *Laud. Dei*, ii, 279 : Ut sub fraude cadant venantum ; *Carm. Min.* viii, 352 (Cf. supra Crispare, p. 93) ; *Orest.* 265 : Sic aper implicitus venantum cassibus ingens. — In *Script. Sacr.* Psalm. xc, 3 ; cxxiii, 7.

Vivens, *Laud. Dei*, i, 560 (Cf. supra Fine, p. 11) ; — Horat. *Epist.* i, 14, 10 ; — Petron. *Satyr.* 125 ; — sæpe in *Script. Sacr.* v. g. Jerem. xxvi, 20 ; xxxii, 23, 24, 26, 27, 32, etc.

Volans, *Carm. Min.* x, 170 : pharetris collidit dorsa volantum. — Verg. *Æn.* vi, 239, 728 ; — Lucret. ii, 1081.

Cf. Goelzer, *Grammatic... observat.* p. 69.

*b*) **De participio præterito.**

In masculino genere :

Abjectus, *Laud. Dei*, ii, 687 (Cf. supra Egens, p. 98).

Adactus, *Laud. Dei*, i, 741 : (Deus) Elevat elisos et consolatur adactos ; ii, 741 : (Deus) Illectos donis, non pœnis mutat adactos.

Afflictus, *Laud. Dei*, iii, 593 : nisi parcere mitis Jusseris afflicto, quem sic fregere dolores. — Et repara afflictum tali sub clade malorum, *Laud. Dei*, iii, 605[37] (Cf. *Append.*). — In *Script. Sacr.* Judic. ii, 18.

Amatus, *Laud. Dei*, iii, 101 : ferus ille sacerdos Stabat in officio, jamjam feriturus amatum ; *Carm. Min.* ii, 143 : nomen amati Montes, silva vocant. — Ammian. Marcell. *Rer. gest.* xxii, 9. — Cf. supra p. 3.

Benedictus, *Laud. Dei*, iii, 163 : Omnia possedit benedicti lata propago. — In *Script. Sacr.* Gen. xxiv, 31 ; Eccli. xxiv, 4 ; Is. lxv, 23 ; Matth. xxv, 34.

Captus, *Orest.* 351 : Quærere neglexit pueros et tradere captos. — Verg. *Æn.* ii, 75. — Terent. *Heaut.* iii, 3, 47.

Confusus, *Laud. Dei*, i, 748 : Confusumque juva, quia pænitet esse nocentem.

Contritus, *Laud. Dei*, II, 745 : Pectore contritos, genibus cum corpore flexos... exaudit Deus. — In *Script. Sacr.* Psalm. CXLVI, 3 ; Is. LVII, 15 ; LXI, 1 ; Zach. XI, 16 ; Luc. IV, 18.

Dejectus, *Laud. Dei*, I, 747 : Adspice dejectum, despectum attolle parumper.

Despectus (Cf. Dejectus).

Distractus, *Laud. Dei*, II, 510 : Sanguine distracti maculatur venditor, emptor.

Elatus, *Laud. Dei*, I, 739 : (Deus) Dejicit elatos et mergit ab arce superbos.

Elisus, *Laud. Dei*, I, 741 (Cf. supra Adactus, p. 100) ; II, 686 (Cf. supra Jacens, p. 98); — In *Script. Sacr.* Psalm. CXLIV, 14; CXLV, 8.

Exactus, *Laud. Dei*, III, 33 : Non exactorem pudor inficit, aut dolor ullus Afficit exactum.

Fessus, *Laud. Dei*, I, 730 : (Deus) fessorum virtus.

Flexus, *Laud. Dei*, II, 745 (Cf. supra Contritus).

Genitus, *Laud. Dei*, II, 312 : Jam genitos utinam tantum fera dextra feriret ; 320 : minus ecce noverca Audet in externos genitos ; III, 531 : (Deus) adoptat Nos genitos vocitare suos. — Plin. *Hist. Nat.* XI, 37, 59.

Illectus, *Laud. Dei*, II, 741 (Cf. supra Adactus, p. 100).

Natus, *Laud. Dei*, I, 406 : Sanguinis ingeniti natis nutrite nepotes ; II, 128 : fleret cum funera nati ; 314 : Et necdum natos properant in ventre ferire ; 321 : jam natos mittit ad umbras ; 387 : Excepit pariter tellus natosque patresque ; et sæpissime ap. Dracontium, *Laud. Dei*, III, 97, 105, 106, 110, 285, 316, 329, 391, 392, 414, 490 ; *Carm. Min.* II, 12, 38, 60, 103 ; IV, 14 ; V, 146 ; VI, 52, 102 ; VIII, 85, 107, 153, 221, 227, 234, 474, 582, 607 ; IX, 160, 170 ; X, 85, 120, 126, 297, 341, 365, 428, 531 ;

*Orest.* 15, 148, 391, 534, 595, 690, 729, 736, 740, 745, 762, 777. — Cic. *de Amic.* 8; — Quintil. *Instit. orat. procem.* libr. I; — Colum. VI, 27; — Phædr. I, 28; — Verg. *Æn.* VII, 518; — In *Script. Sacr.* sæpe, v. g. I Mach. I, 34, 40; III, 45; V, 13, 23, 45, etc. — (Cf. infra Nata.)

Oppressus, *Carm. Min.* V, 201: Erigat oppressos; — in *Script. Sacr.* Is. I, 17; Jerem. XXI, 12; XXII, 3; Act. Ap. X, 38.

Pressus, *Laud. Dei*, I, 729: (Deus) spes et defensio pressis; II, 685: Tempore tristitiæ major defensio pressis.

Prostratus, *Laud. Dei*, III, 605[36] (Cf. *Appendic.*): Erige prostratum, vindex, attolle jacentem.

Purgatus, *Orest.* 937: sententia vestra resolvat Purgatum sub jure deum.

Sepultus, *Laud. Dei*, I, 623: Sed ne sit fixum reditus non esse sepultis; II, 119: reparare sepultos Novit; 525: plures mundo rediere sepulti. — Horat. *Ep.* II, 1, 88.

Servatus, *Laud. Dei*, III, 663: Servatum reparare jube pietate sueta.

Subjectus, *Sat.* 209: Rex qui dat veniam subjecto et temperat iras.

Victus, *Carm. Min.* V, 216: nec Romula tecta videret Ni fatum offerret victos; VIII, 310: Quando etiam victor victi sub lege tenetur; 348: et victi melius te præsule regnant. — Verg. *Æn.* II, 354, 367.

In feminino genere:

Amata, *Carm. Min.* II, 55 (Cf. supra de Genitivo, p. 34.)

Genita, *Carm. Min.* VIII, 465: de gente Tonantis olores Promittunt genitam.

Nata, *Laud. Dei*, III, 334: senior qui natam perculit ense; 391: Non genitor natum planxit, non nata paren-

tem ; *Carm. Min.* II, 38 : Oscula nata petat ; 92 : facilis cui nata fluenti Rem pandit ; VIII, 86 : Reginam interea natarum turba coronat ; IX, 101 : natam repetens per castra sacerdos ; sic etiam X, 312, 328, 331, 369, 451, 520; *Orest.* 62. — Horat. *Sat.* II, 3, 199 ; — Verg. *Æn.* I, 654.

In neutro genere :

Sæpe, apud latinos scriptores, neutrius generis participia præterita inveniuntur ; itaque tantum enumeranda hic sunt, quæ a Dracontio fuerunt usurpata :

Ausa, *Orest.* 336, 358, 629.
Consumpta, *Laud. Dei*, I, 622.
Creata, *Ibidem*, I, 24.
Defuncta, *Ibidem*, 683.
Generata, *Ibidem*, 685.
Gesta, *Carm. Min.* II, 148.
Ingesta, *Carm. Min.* VIII, 601.
Instructa [*præcepta*], *Orest.* 553.
Jussa, *Laud. Dei*, II, 57, 235; III, 228, 535, 547, 557; *Carm. Min.* II, 83 ; VIII, 191, 231 ; *Orest.* 951.
Nata, *Laud. Dei*, I, 621.
Perempta, *Ibidem.*
Præsumpta, *Laud. Dei*, II, 738.

*d*) **De participio futuro.**

Pauca sunt participia futura, quæ substantivorum more a Dracontio usurpantur, et omnia neutrius generis :

Futurum et Futura, *Laud. Dei*, I, 35, 55, 519, 525.

Peritura, *Laud. Dei*, III, 95.

Venturum et Ventura, *Laud. Dei*, I, 54, 524, 526.

N. B. — De participiis substantivorum vice fungentibus apud S. Hieron. Cf. Goelzer, *Latinité de S. Jérôme*, p. 111-113, 116-118, 119-121.

# CAPUT V

## DE ADVERBIO

Inveniuntur quædam adverbia, ante Dracontium inusitata, quæ usurpavit Noster :

Diurne, *Laud. Dei*, I, 680 : (solem) rubentem Purpureis abscondit aquis, redditque diurne ; III, 602 : Lacrimas intende meas quas fundo diurne.— Ex adjectivo « diurnus », sæpissime usurpato.

Dominanter, *Laud. Dei*, I, 331 : Ut dominanter eat (homo). — Invenitur dominaliter in charta Cresimiri Regis Dalmat ann. 1059, apud J. Lucium, *Hist. Dalmat.* II, 15 : dominaliter corroboro.— Legitur dominans apud Cic. *Tusc.* I, 30; —Lucret. III, 397; — Tacit. *Ann.* XIV, 56; —Horat. *Ep. ad Pis.* 234, etc..... sed nusquam dominanter.

Egenter, *Laud. Dei*, III, 67 : Et miser hic, qui dives erat, non vixit egenter. — E partic. præs. egens, nonnunquam substantivi more usurpato (Cf. supra Egens, p. 98).

Juvenale, *Orest.* 617 : accensus felle doloris Erigitur juvenale fremens. — Legitur juvenalis apud Verg. *Æn.* V, 475: juvenali in corpore vires ; et apud Auson. *Profess. Burdig.* 15 : animo juvenali senex ; sed nusquam adverbium juvenale. Attamen adjectivum neutrius generis, adverbii more sic usurpatum, etiam apud aureæ latinitatis scriptores nonnunquam invenitur, v. g. Horat. *Carm.* I,

22, 23-24 : dulce ridentem Lalagen amabo, dulce loquentem ; *Sat.* II, 5, 89 ; II, 6, 27 ; *Epist.* II, 2, 9 ; — Cf. Stat. *Theb.* III, 589; — Sil. Ital. I, 398; — Claud. *Rapt. Proserp.* I, 287 ; — Senec. *Agamemn.* 544. Sed apud quosdam, v. g. Claudium Victorem, sæpius invenitur, Cf. Gamber, op. cit., p. 184. — Sic etiam usurpat Dracontius Mortale, *Orest.* 617 : mortale minatus ; 824 : mortale minatur ; *Laud. Dei*, II, 254 : mortale minantes. — Veniale, *Laud. Dei*, II, 486 : cælestis pietas veniale minatur ; 559 : Credidit infelix nihil jam veniale mereri ; *Sat.* 121 : inimicorum culpis veniale minaris ; *Carm. Min.* VIII, 361 : veniale, ratus (minatus, ex Rossberg, *Materialien*, II, p. 72).

Grande, *Laud. Dei*, I, 302 : polus qui grande sonat. — Stat. *Theb.* VI, 429 ; XII, 683. — Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. II, p. 661.

Tonanter, *Laud. Dei*, III, 223: Temporibus nostris Christo regnante tonanter.

Trementer, *Laud. Dei*, III, 671 : Suspexisse Deum satis est de corde trementer. — Hujusmodi adverbia in-*ter*, præsertim apud ecclesiasticos scriptores, tertio sæculo sæpissime inveniuntur. — Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, pp. 197-201.

## II

Inveniuntur adverbia quæ raro a latinis scriptoribus usurpantur :

Cruente, *Orest.* 187 : ne moriar tecum peritura cruente ; 737 : moriere cruente. — Justin. *Hist.* XXXIX, 3 ; — Cf. Goelzer, *Grammaticæ... observat.*, p. 15.

Grande, *Laud. Dei*, I, 302 (Cf. supra).

Incessanter, *Laud. Dei*, I, 609 : Incessanter aquas licet

evomat impete pleno. — Sidon. Apollin. *Epist.* viii, 11. — S. Hieron. incessabiliter adhibuit, *Epist.* lxiv, 20, Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 198.

Noviter, *Laud. Dei*, ii, 296 : Nec modo tentatur noviter. — Plaut. in *Suppos. Aulul.* — Fulgent. (vi° sæculo) *Mythol.* iii, 1. — Cf. Neue, *Formenlehre* (edit. 1875-1877), t. II, pp. 655-656.

Solite, *Carm. Min.* vi, 66 : Et quidquid justos solite comitatur amores. — Plaut. *Mil.* ii, 3, 11 ; *Amph.* i, 1, 131.

Urgenter, *Orest.* 675 : monitique urgentius omnes Ut taceant. — Sic ex Baehrens ; sed hanc lectionem omnino rejicit Rossberg (*Materialien*, ii, p. 77) et scribit ex codicibus : monitis urgentibus omnes Ut taceant. — Cyprian. *Epist.* 30.

Veneranter, *Orest.* 48 : veneranter adorat Numina casta deæ. — Tertull. *Carm. de Judic. Dom.* 184; — Sedul. *Carm. Pasch.* v, 432.

## III

Quædam adverbia peculiarem habent significationem :

Cito = potius, *Laud. Dei*, ii, 493 : Indulgere volens cito quam punire parata.

Ecce quid = id, *Laud. Dei*, iii, 235 : Ecce quid alma fides exegit ab arce Tonantis ; *Sat.* 165 : Ecce quid impendit patris clementia parcens ; 191 : Ecce quid impendit homini clementia simplex (fr. gallice : voici ce que). — Cf. Goelzer, *Grammaticæ... observationes*, p. 93. — Cf. *Archiv für lat...* t. VIII, pp. 229-234. — Sæpe hoc adverbio ecce redundanter utitur Dracontius, v. g. *Carm. Min.* iv, 31 : nunc fortiter ecce fatiscens Tertia bella gero ; 37 : Non

rapit ecce meus ; v, 270 : Ecce triumphalis metuendum dextera ferrum... In patria revocare velit ; x, 122 : Dum loquitur lasciva Venus, venit ecce Cupido ; 134 : venit ecce noverca ; 179 : Ecce trahebatur ceu taurus pulcher Iason ; 199 : videt ecce volantem (puerum) ; x, 226 : ecce feri ; 270 : Ecce triumphantes ingratia dura jugales Consequitur; *Orest.* 470 : Ecce tuam nunc pastor habet ; 810 : Nos alius vocat ecce labor; 972 : Ecce Mycenæa triplex jam scena profanat Grajugenum famam. — *Laud. Dei*, I, 524 : Ecce genus hominum ventura scire probatur. — Sic sæpissime apud ecclesiasticos scriptores, v. g. in *Script. Sacr.* Matth. I, 20, 23 ; II, 1, 9 ; III, 16, 17 ; IV, 11 ; VII, 4 ; VIII, 2, 24, 29, 33, 34 ; IX, 2, 3, 10, 18, 20, 32, etc. Cf. *Archiv für lat...* t. V, pp. 16 sqq.

MALE = valde, *Orest.* 707 : Una puellarum male concita currit anhelans. — Cæs. apud Cic. *ad. Att.* XIV, 1 ; — Terent. *Hecyr.* III, 2, 2 ; — Horat. *Sat.* I, 4, 66 ; I, 3, 31 ; — Prudent. *Cathemer.* 14.

MELIUS = multum, *Orest.* 227 : mulier melius gavisa resumpsit Turpiter infames animos.

MERITO = revera, *Carm. Min.* V, 14 : Impius hostis erat merito qui vincere vellet Ut cives jugularet ovans.

MOX = vix, *Sat.* 231 : Numquid mox natas segetes viror armat aristis.

MOX QUAM = simul atque, *Laud. Dei*, II, 239 : Mox quam factus erat (homo) nullo peccante creatus, Peccavit. — Paul. *Dig.* VII, 4, 13.

NEC = ne quidem, *Orest.* 584 : Ut facienda putes quæ nec dicenda fuissent.— Cic. *Tuscul.* I, 26 ; — Justin. XI, 8 ; XII, 16; — Martial. V, 70.

ET NECDUM = necdum, *Laud. Dei*, II, 314 : Et necdum natos properant in ventre ferire. — Tacit. *Hist.* I, 31. Sic in sermone vulgari, Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, pp. 434-435.

Non jam = nondum, *Carm. Min.* viii, 538 : Ut vivum linquam non jam moriente [mortuo] marito.

Passim = temere, *Carm. Min.* x, 313 : natamque tyranno Indicat ignoto, passim nupsisse marito. — *Orest.* 811 : Quid faciam ? scelus est ; passim rapiātur adulta Sponsa (sic legendum est, Cf. Rossberg, *Materialien*, ii, p. 92).

Plus = magis, *Orest.* 57 : plus jam cognoscere patrem Cœperat ; 73 : quod plus miror ; *Laud. Dei*, iii, 550 : ego plus quam peccator habendus (sum). Cf. supra pp. 56-57.

Quando = Quomodo, *Sat.* 92 :

Quod cœlum, quod terra, fretum, quod purior aer
Non meruere simul, hoc homo quando habeat ?

Quasi = ut, *Laud. Dei*, i, 394 : Corpore nuda simul niveo, quasi nympha profundi ; iii, 457 : Et quasi sexus iners fragili sub corpore mollis.— Sic in sermone vulgari, Cf. Goelzer, op. cit., p. 429.

Quo = ubi, *Carm. Min.* x, 124 : gremio matris libratur anhelans, Quo sessurus erat. — Et, vice versa, ubi = quo, *Carm. Min.* viii, 222 : ubi carbasa tendis ?

Semel = omnino, penitus, *Laud. Dei*, iii, 434 : Intoleranda semel toleravit mensibus octo. — Cic. *ad Attic.* xiv, 13 ; *pro Dejot.* 3. — Quintil. *Declam.* vi, 2.

Simul = omnino, *Laud. Dei*, i, 394 (Cf. supra Quasi) ; ii, 123 : (dies) Quem simul ex utero matris natura negavit.

Simul = similiter, *Laud. Dei*, iii, 226 :

Impendens Asiæ nulla mercede salutem
Europæque simul nisus virtute magistri.

Cic. *Verr.* ii, 4. — Plaut. *Captiv.* i, 1, 11.

Tantum = tam, *Laud. Dei*, i, 690 : Qui tantum pius est quantum decet omnipotentem. — Verg. *Georg.* iv, 101 ; — Horat. *Sat.* ii, 3, 313 ; ii, 5, 80 ; — Vell. Paterc. *Hist.* ii, 11.

## CAPUT VI

### DE PRÆPOSITIONE

Modus quo in adhibendis præpositionibus usus est Dracontius, a classicorum scriptorum usu multum differt; nunc enim, ut in vulgari sermone accidit, casuum vice præpositiones funguntur; nunc confunduntur inter se et una pro alia invicem usurpatur. Inter omnes, præpositiones « sub » et « de » plerumque adhibentur.

### I — **Sub**.

Præpositio sub usurpatur :

*a*) Cum ablativo materiæ, *Laud. Dei*, I, 582 : (ut homo) dominaretur cunctis sub carne creatis.

*b*) Cum ablativo instrumenti, *Carm. Min.* VII, 97 : cantu mulcere solet sub voce canora; 101 : omne melos retinens sub voce silenti; VIII, 260 : Antenor placida sub voce profatur ; *Laud. Dei*, I, 470 : conjugis aures Aggreditur sub voce pia ; II, 656 : reus et veniam celerem sub voce meretur ; III, 433 : pœnas exegit ab urbe fideli Perfida quas lueret sub justo vindice turba.

*c*) Cum ablativo modi, *Carm. Min.* V, 5 : hostiles patriæ revocare sagittas Civili sub lege velit ; 105 : servare modestos Debuerat sub pace sua ; VI, 86 : Privato sub more gerens sua jura ; VII, 155 : Jam spargens sub fraude rosas ; *Orest.* 162 : Quæ, secus armata dolis sub fraude latenti,

Incipit effari ; 338 : Extinctum sub fraude ducem ; 392 : obit sub morte securis ; 799 : regis sub honore salutant ; *Laud. Dei*, I, 228 : (sol) sub lege laborat ; II, 275 : Vinea ne pereat sub morsu dentis adunci ; 279 : ut sub fraude cadant venantum ; 664 : Murmure sub tacito sterilem defleverat Anna Materiem ; 682 : (donec) Fundatur de ventre puer sub sorte beata ; III, 40 : Semper avarus inops, pauper sub divite nummo ; 66 : quæ stant sub perpete nexu ; 467 : vitæ prodest sub laude futuræ ; 489 : bella Cum duce Persarum Cyro sub laude peracta ; 638 : Unguibus armantur digiti sub dispare forma. — Sil. Ital. *Punic.* XI, 426 ; XVI, 245.

*d*) Cum ablativo causæ :

*Carm. Min.* V, 3 : Et facinus sub laude gerat ; 21 : Si bellum sub pace cadat, quod sentio prodam , VI, 54 : Blanditus sine fraude dolor sub vulnere casto ; *Orest.* 531 : cluat sub crimine inulto Lætus et indomitus ; *Laud Dei*, I, 634 : Ligna renascentur reduci sub germine cuncta ; 663 : Mortua lux sub luce cadit ; 685 : Et generata vigent sub nutritore Tonantis ; II, 20 : (sol) Non ausus transire vices sub lege perenni ; 93 : Claustra puerperii passus (Christus) sub lege creandi ; II, 137 : Fluctibus æquoreis domini sub pondere victis ; 498 : Exsilio trusere gravi sub perpete pœna ; 695 : sub pietate bonus ; III, 457 : sexus iners fragili sub corpore mollis ; 556 : Sed satis est dixisse reum sub crimine cuncto ; *Sat.* 131 : Nemo cadet sub jure tuo, sub morte cruenta (ablat. causæ et modi).

*e*) Cum ablativo partis :

*Orest.* 340 : tacito sub corde fremunt ; *Laud. Dei*, III, 645 : Inde pios animi rapiant sub pectore motus. — Verg. *Æn.* IV, 332.

*f*) Cum ablativo temporis in quæstione « quando » :

*Carm. Min.* V, 193-194 : ministros Sollicitare potest

audax sub nocte silenti, Qui sub luce fugit: VIII, 650 : flammastis amore Ostensam sub nocte facem ; IX, 89 : sub luce madescunt ; IX, 119 : Inferni secreta dei sub nocte petuntur; X, 360 : rapitur sub nocte silenti; *Orest.* 493 : claro privata die sub luce diurna ; 623 : Quæ sensus monuere suos sub nocte sopora ; 674 : Et venturus erit vindex sub luce futura ; *Laud. Dei*, I, 183 : Illic floret humus semper sub vere perenni ; 230 : (sol) sidera cuncta Ostentat sub vere novo, sub tempore primo ; 681 : redditque diurne Depositum natura suum sub nocte sepultum ; II, 7 : stellas sub luce latent, sub nocte refulgent ; 519 : Et noctem sub luce dedit ; III, 474 : Nocte sub obscura perfecit femina sola. — Verg. *Æn.* IV, 527 ; VII, 87 ; — Stat. *Theb.* IX, 793 ; *Silv.* I, 1, 94 ; — Sil. Ital. *Punic.* VIII, 640.

*g*) Cum ablativo temporis in quæstione « quanto tempore » :

*Laud. Dei*, II, 356 : solus sub tempore parvo Transgreditur præcepta Dei ; 662 : sub puncto temporis uno Et prece primori vitam et tria lustra meretur.

*h*) Cum ablativo loci in quæstione « ubi » :

*Laud. Dei*, II, 523 : Cardine sub gemino nox importuna pependit.

*i*) Cum ablativo rei post verba passiva :

*Laud. Dei*, I, 448 : Arboris unius fructu sub lege negato ; II, 167 : tali sub clade aboletur ; 242 : damnatur sub lege necis ; III, 482 : Impollutus adhuc nullo sub crimine.

*j*) Cum verbo damnare ad exprimendam pœnam, *Laud. Dei*, III, 72 : tales damnare licet sub perpete pœna. — Et cum verbo fieri attributi loco, *Laud. Dei*, II, 80 : Fitque Deus sub carne = Deus fit caro.

*k*) Postremo, loco præpositionis in, *Laud. Dei*, III, 590 : Nec doluere meam tanta sub clade ruinam ; 648 : Me,

rogo, jam repara sub libertate solutum ; 682 : Additus insonti populo sub sorte piorum.

### II — De.

Præpositio de usurpatur :

*a*) Cum ablativo materiæ, instrumenti, causæ et partis :

*Laud. Dei*, I, 378 : posset et illam Pulvere de simili princeps formare puellam ; 405 : replete solum de semine vestro (sic fr. gall. : une statue de bronze). Cf. *Archiv für lat..*: t. VII, p. 477. — *Ibid.* 194 : Arboribus movet illa (aura) comas, de flamine molli Frondibus impulsis ; II, 327 : Et responsa petunt tenebris de voce sepulchri ; III, 621 : (scena capillorum) omne caput vestit de crine decorum ; — *Laud. Dei*, I, 423 : diem de sole rubentem ; 673 : Et tamen hæc de sole perit ; II, 566, (de Juda) : Funestatque diem de corpore tabe madenti ; III, 255 : Ausi omnes scelerare manus de morte tuorum, Aut certe de strage sua ; 424 : Ut plus terreret Tyrios de morte minaci (sic fr. gall. : mourir de faim). — Terent. *Eun.* III, 2, 24. — *Laud. Dei*, I, 383 : (Adami) juvenis de parte brevi formatur adulta (virgo) : II, 127 : Quod de parte viri, fecit de corpore toto ; 787 : Fluctibus æquoreis gemina de parte ligatis ; II, 255 : (serpentes) de parte sua dant sæpe salutem ; III, 671 : Suspexisse Deum satis est de corde.

*b*) Cum ablativo personæ post verba passiva :

*Orest.* 431 : (Medea) Incolumi viduata viro de pælice Glauce ; *Laud. Dei*, I, 564 : (Deus) De quo speratum conceditur omne benignum. — Item post verbum rogare, *Carm. Min.* II, 49 : supplex mater amorum Ignis opem de prole rogat. — Item post verbum mereri [impetrare], *Carm. Min.* VIII, 284 : consortem sanguinis unam Non

valuit, dicent, rector de lege mereri; *Laud. Dei*, II, 96 : Hæc fragilis natura jacens humana meretur De pietate sua (sic fr. gall. : obtenir quelque chose de quelqu'un). — Item post verbum exigere, *Orest.* 477 : Exige supplicium de conjuge ; 480 : Exegit mortem de virgine. — Flor. III, 19, 11 ; — Ovid. *Metam.* VIII, 531 (sic fr. gall. : exiger quelque chose de quelqu'un).

*c*) Cum ablativo nominis originem indicantis :

*Carm. Min.* VIII, 7 : Nam totum de matre venit, de matre creatur; 459 : sollers augur cretus de gente Melampi; 464 : de gente Tonantis olores Promittunt genitam ; *Sat.* 164 : Abessalon hæres de conjuge natus ; 181 : natus de virgine Christus; 38 : de bove factus homo; 183 : Dux princeps romanus erat de principe Titus ; *Laud. Dei*, I, 336 : virum de pulvere factum ; 581 : factus de pulvere ; II, 240 : quid nos miseri de crimine nati ; III, 341 : fecit de patre novercam ; item *Carm. Min.* x, 22 ; Cf. Juven. VII, 197-198 ;

*Laud. Dei*, III, 141-142 :

Barbaries nec sola datur [nascitur] de germine justo,
Et romana manus hocce est de sanguine fusa [creta].

Cf. *Archiv. für lat......* t. III, p. 17.

*d*) Cum ablativo loci in quæstione unde :

*Carm. Min.* VIII, 399 : transire parabat Ad legatorum propria de nave carinas (sic fr. gall. : passer d'un endroit à un autre) ; x, 29 : Pegaseo de fonte veni ; 480 : tartareo veniens de gurgite virgo. Cf. Goelzer, *Grammaticæ... observat.* p. 51. — Sic etiam usurpatur cum multis complementis ad quæstionem « unde » pertinentibus, *Laud. Dei* I, 506 : Promittit saxis, et non de pulvere gemmas ; II, 642 : Fructus honestatis datus est de ventre pudoris ; 682 : (donec) Fundatur de ventre puer ; III, 584 : exutus magna de parte bonorum ; 599 : Ira hominis cum sole

cadat de corde furentis ; 681 : Et grates exceptus agam de fasce malorum ; *Carm. Min.* IV, 49 : alter surgit de vulnere serpens.—Terent. *Adelph.* V, 3, 55 : surgunt de nocte latrones ; item Horat. *Epist.* I, 2, 32. — *Carm. Min.* VI, 73 : (Cypris) Apparet de parte poli qua flammeus axis Volvitur ; VII, 149 : surget de fluctibus imis ; VIII, 190 : Pellere pastorem patriis de sedibus ; 204 : Scindite pellitas niveo de pectore vestes; 334 : Fit felix de sorte mala ; *Orest.* 807 . Nuntius Hermione venit de virgine pacta. — Sic etiam *Laud. Dei*, I, 451 : campos aliquo de fonte rigare ; 611 : de flammis tollere flammas ; 682 : de fluctibus orbe (solis) refecto ; II, 119 : Præstatur de clade salus ; item *Carm. Min.* IX, 227 ; *Laud. Dei*, II, 133 : Sanguinis insoliti solitus discurrere fluxus De muliere perit ; 164 : Cum fugitiva manus de fluctibus omnis adesset ; 175 : datur esca polorum, Angelica de parte cibus ; 436 : Sponte parans fructum, vinum et de fontibus uvæ ; III, 462 : animos de crimine sumunt.

*e*) Loco præpositionum ob et post, *Laud. Dei*, II, 769 : de nobile pauper Jam modo dives eget ; *Carm. Min.* IV, 15 : deque triumphis Horrida bella manent.

*f*) Loco præpositionis pro, *Carm. Min.* V, 218 : meruit de clade triumphum ; *Orest.* 281 : pœnasque petunt de sorte secunda.

*g*) In duplici loco, ex quo constat Dracontii linguam ad gallicam sensim progredi, *Laud. Dei*, II, 181 : Est tibi cura, Deus, de quidquid ubique creasti (fr. gall. : de tout ce que) ; *Sat.* 90 : de quinque plagis vix habet ipse duas (fr. gall. : un des soldats). — Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, pp. 338-343.

### III. — **Ab**.

Præpositio ab adhibetur :

*a*) In quæstione quando :

*Laud. Dei*, I, 697 : Cujus ab aspectu montes et saxa fluescunt.

*b*) In quæstione ubi, loco accusativi cum præpositione ad, *Carm. Min.* x, 256 : Rumpit vincla viri quæ tunc suspendit ab aris.

*c*) Cum ablativo causæ :

*Laud. Dei*, I, 672 : (aurora) Ducit ubique diem periturum noctis ab umbris ; II, 152 : pluunt nubes, et ab igne coruscant.

*d*) Cum complemento rei post verba passiva :

*Sat.* 27 : cælesti demens compulsus ab ira ; 243 : Sol, oculus cæli, radians fuscatur ab umbra.— In *Script. Sacr.* Ep. S. Jacob. I, 14 : unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus ; — Cf. Goelzer, op. cit., p. 337.

### IV. — **Cum**.

Præpositio cum adhibetur :

*a*) Cum ablativo instrumenti :

*Carm. Min.* II, 143 : Littus et unda Herculea cum voce sonant ; v, 7 : Reliquias belli scelus est cum lege necare ; 45 : iratus victor cum lege minatur (fr. gall. : couper avec un couteau). — Idem notat Thielmann in libro Sirach, Cf. *Archiv für lat...*, t. VIII, p. 556.

*b*) Cum ablativo modi, *Laud. Dei*, III, 128 : Cum ratione

jubet fieri quæcumque jubebit (fr. gall. : gouverner avec sagesse).

*c*) Cum ablativo materiæ, *Carm. Min.* VIII, 416 : cum lacte novo jam caseus albens Formatur (sic fr. gall. : faire du pain avec de la farine).

## V. — **Ex.**

Præpositio ex adhibetur cum ablativo partis, *Laud. Dei*, II, 282 : aves ex nulla parte nocentes.

## VI. — **In.**

*a*) In cum ablativo adhibetur ad exprimendum instrumenti et modi complementum, *Carm. Min.* VIII, 521 : Et procera regens in poplite membra venusta ; v, 254 : cum plebs arderet in ira ; VII, 145 : Cypris in ornatu veniens freta glauca vagatur (fr. gall. : venir en grande pompe) ; VIII, 291 : justa succensus in ira (sic ex codice ; Baehrens tamen scripsit : justas accensus in iras) ; x, 230 : tremuli strident in murmure dentes.

*b*) In cum ablativo usurpatur in quæstione quando, *Carm. Min.* VII, 26 : Nec reticere licet festivo in tempore vati ; IX, 192 : Qui pœnas in luce dedit ; *Orest.* 457 : Noctibus in mediis flens per hæc tempora regem (fr. gall. : l'incendie éclata dans la nuit). — Idem notat Thielmann in libro Sirach, Cf. *Archiv für lat...* t. VIII, p. 556.

*c*) In cum ablativo locum accusativi tenet in quæstione quo, *Carm. Min.* IX, 202 : Carbasa prima videns nautis occurrit in undis ; x, 135 : venit ecce noverca In manibus

jam Juno meis (Cf. Goelzer, *Grammaticæ... observationes*, pp. 52-53).

*d*) In quæstione ubi, præpositio in simul et temere accipit accusativum et ablativum, *Carm. Min.* v, 118-119 : socios in bella tueris Et cives in pace necas. — Cf. Goelzer, *Ibidem.*

*e*) In cum ablativo aut accusativo significat in speciem, in faciem vel ad effigiem, *Laud. Dei*, I, 160-161 :

> Pars datur in tumulos, pars aspera rupibus horret ;
> In scopulos pars certa riget.

*Laud. Dei*, I, 698 : saxa fluescunt In cineres ; 344 : surgunt in messe capilli.

*f*) In cum ablativo dativi locum tenet, *Laud. Dei*, II, 414 : Non niger aut albus tantum color esset in agnis = agnis ; II, 509 : proficere in aliquo = alicui.

*g*) Ablativus usurpatur accusativi loco post præpositionem in, *Carm. Min.* IX, 32 : crudelis in hoste ; item 104, 143.

*h*) In cum accusativo vicem complementi relationis gerit, *Laud. Dei*, I, 330 : (homo) limatur in artus = limatur artus = limantur hominis artus.

*i*) In cum accusativo adhibetur post verbum ulcisci, *Orest.* 755 : Si placet ulcisci genitorem, dixit, in ambos. — In *Script. Sacr.* Psalm. XCVIII, 8 ; Nahum I, 2; Macch. I, XV, 4 (sic fr. gall. : se venger sur quelqu'un).

## VII. — **Ad.**

Præpositio ad usurpatur :

*a*) Cum complemento partis, *Laud. Dei*, I, 259 : (avis) Unguibus ad ramos infixa tenacibus hærens ; II, 561 : sce-

lerata ad colla pependit (fr. gall. : pendre à un clou). Cf. Goelzer, op. cit., p. 50, n. 1.

*b*) In quæstione quando, *Orest.* 680 : Adventum ad domini retinet pars vernula portas. — Corn. Nep. xxv, 10.

*c*) In quæstione ubi, loco ablativi cum præpositione in, *Carm. Min.* x, 496 : ponens ad busta coronam.

*d*) In quæstione quo, loco præpositionis in; et hæc est nota vulgaris sermonis (Cf. Goelzer, op. cit., p. 50), *Carm. Min.* viii, 209 : Ad sæpta intrantes; 252 : regis ad aulam Linquentes mox littus eunt; 261 : ad aulam, Rex Telamon, venisse tuam quæ causa coegit, Insinuare decet; 399 : transire parabat Ad legatorum propria de nave carinas; 448 : hospes ad aulam Pervolat Atridis; 639 : jam regis ad aulam Intratur; x, 58 : trahitur captivus ad aulam; 320 : venit Indus ad aulam; 366 : Ventum erat ad Thebas; Cf. *Carm. Min.* viii, 460, 505, 573; *Orest.* 379, 586 (sic fr. gall. : aller à l'hôtel de ville, au collège). Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 328.

*e*) In quæstione quo, loco simplicis accusativi; sic in sermone vulgari, Cf. Goelzer, *Grammat... observat.* p. 45; *Carm. Min.* viii, 573 : (maritum) ad Cyprum venientem; *Orest.* 586; Imus ad argolicas veniam donare Mycenas. — Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 327.

*f*) Loco præpositionis inter, *Orest.* 746 : genitor te exspectat ad umbras.

*g*) Loco dativi, *Carm. Min.* vii, 156 : Mandat ad æquoreos comites.

*h*) Significat etiam ad effigiem, *Carm. Min.* vii, 417 : (caseum) premit jam pastor ad orbem.

## VIII. — **Per.**

Præpositio per adhibetur :

*a*) Cum complemento partis, *Carm. Min.* v, 315 : grandia surgunt Ingentes per colla tori ; viii, 111 : juvenem complexa tenet per colla, per ora ; 160 : complexus quos dant per colla parentes ; 556 : rapitur per colla tyranni ; ix, 178 : per colla tenent. Item *Orest.* 60, 229, 644 ; *Laud. Dei*, iii, 208 : captum per colla leonem (sic fr. gall. : tenir par le cou). — Propert. iv, 5, 51 : per barbara colla pependit.

*b*) Cum complemento causæ, *Laud. Dei*, i, 310 : Incertusque color tigris per mille colores Montibus hyrcanis venit ; *Orest.* 728 : Et male partitos per vulnera palpitat artus.

*c*) Cum complemento instrumenti, *Carm. Min.* x, 221 : Misit arundineum per flammea cornua ferrum ; *Orest.* 727 : (fores portæ) minuunt per mille secures ; 834 : portas Obstrue per claves ; *Laud. Dei*, iii, 664 : Ut merear cantare tuas per carmina laudes ; *Sat.* 290 : Per pietatis opus nomen habet placidum (fr. gall. : périr par le feu). — Cf. etiam *Carm. Min.* v, 210 ; viii, 630 ; *Laud. Dei*, ii, 496, 665.

*d*) Cum complemento loci in quæstione ubi, *Orest.* 194 : Unaque natarum cinis est per templa Dianæ ; *Carm. Min.* vii, 36 : Bacchis completur amor per castra Dianæ ; v, 39 : per urbem Infelix quid civis agat ; item *Carm. Min.* v, 141, 243 ; vii, 36, 112 ; viii, 143 ; ix, 101 ; x, 10, 70, 205, 262, 450 ; *Orest.* 465, 836, 923. — Item cum complemento personæ, *Laud. Dei*, iii, 216 : humana tabe madescens Taurica per Colchos crudelis virginis ara.

*e*) Cum complemento personæ post verba passiva, *Laud. Dei*, ii, 283 : Quæ natura negat per nos elementa petuntur

(fr. gall.: être puni par Dieu). Cf. Goelzer, *Grammat... observat.* p. 47.

*f*) Adhibetur loco præpositionis propter, *Orest.* 178 : Per te casta negor, per te fero damna pudoris. — Plaut. *Aul.* II, 1, 12; — Plin. *Epist.* VIII, 10.

## IX. — **Ante** et **Post**.

*a*) Præpositio post loco præpositionis ab usurpatur, *Sat.* 189 :

Nobile præceptum, rectores, discite post [a] me :
Sit bonus in vita qui volet esse deus.

*b*) Ante et post substantivorum more adhibentur, *Laud. Dei*, III, 668 :

Numquid habes, Deus, ante tuum, vel post cadit in te?

Et hanc subobscuram sententiam alibi evolvit ipse Dracontius, *Laud. Dei*, II, 732-733 :

(Deus) Cui cuncta patent, per quem sunt omnia, quot sunt,
Et transacta simul, quæ sunt, quandoque futura.

*c*) Præpositiones ante et post, cum substantivo conjunctæ, vice temporalis enuntiati sæpe funguntur :

*Carm. Min.* VIII, 130 : ante annos = antequam multos egeris annos.

*Ibid.* X, 245 : ante dolonem = antequam dolone feriatur (ex cod. ante dolorem = antequam dolore afficiatur).

*Ibid.* X, 407 : ante necem = antequam mortui sint.

*Orest.* 170 : ante diem = antequam dies præteriit.

*Carm. Min.* IV, 53 : post vulnera flammæ = postquam flamma vulnerati sunt.

*Sat.* 273 : post vulnera = postquam vulnus intulit.

*Carm. Min.* VI, 19: post arma = postquam arma deposuit.

*Ibid.* VIII, 79 : post Herculis arma = postquam Hercules arma deposuerat.

*Ibid.* VIII, 312 : post ignes meos = postquam meis ignibus corruit.

*Ibid.* VIII, 428 : post signum = postquam signum datum est.

*Ibid.* VIII, 433 : post æquora = postquam æquora defuerunt.

*Ibid.* VIII, 539 : post thalamos primi = postquam thalamos primi occupavero.

*Ibid.* IX, 15 et 18: post membra = postquam membra perierunt. (Item *Orest.* 599.)

*Laud. Dei*, III, 51 : post sua membra = postquam obiit.

*Ibid.* III, 676 : post corpus = postquam corpus periit.

*Carm. Min.* IX, 164 : post Hectora = occiso Hectore. (Item *Orest.* 748.)

*Ibid.* X, 106 : post sæcula reditura = postquam complura vixit sæcula, iterum victurus.

*Ibid.* X, 268 : post templa = postquam e templo egressi sunt.

*Laud. Dei*, II, 80 : post templa poli = postquam e cœlo descendit (Christus).

*Carm. Min.* X, 414 : post regna barathri = postquam e regno barathri discessisti.

*Laud. Dei*, III, 646 : post regna = postquam regno expulsus est. (Item *Sat.* 35.)

*Orest.* 140 : post pelles = postquam in pellibus stravisti.

*Ibid.* 141 : post tecta = postquam tua tecta dereliquisti.

*Laud. Dei*, II, 499 : post viscera matris (seu post ubera matris, ex Berolin. centon.) = postquam natus est (seu postquam crevit) (1).

(1) Hic non prætermittenda puto aliquot alia brevitatis exempla, quæ apud Dracontium leguntur :

Vix tandem justus, nam nec permansit avarus (*Laud. Dei*, II, 562) = aliquam justitiæ speciem præ se tulit, non quod revera justus fuerit, sed quod avarus esse desiit.

(revocans a morte truci) quos culpa premebat Faucibus inferni raptas inducere formas (*Laud. Dei*, II, 703-704) = quos culpa premebat ad formas (animas) inducendas in fauces inferni, unde eas rapuit.

Inopem simulare (*Laud. Dei*, III, 273) = simulare se esse inopem.

Nec juga Romani fuerant metuenda senatus (*Laud. Dei*, III, 444) = Si (Saguntini) Annibali se subjecissent, non ideo postea metuendum fuisset Romanorum jugum.

Qualis et ingratos sequitur (*Sat.* 95) = (culpa mea) talis me sequitur, qualis et ingratos.

Rex inimicorum populis mucrone pepercit (*Sat.* 157) = Rex inimicorum populis pepercit, abstinens se a mucrone.

Sceleris fructus (*Sat.* 164) = fructus sceleratæ feminæ.

Vir sine morte furens nil habet ipse necis (*Sat.* 174) = vir qui non ita furit ut inimicis mortem inferat, neque ipse ab aliis necabitur.

(Juppiter) erit Cereris de fratre maritus (*Carm. Min.* II, 42) = Jupiter, frater Cereris, fiet ejusdem maritus, ex Juvenal. : « fies de rhetore consul ».

Nec Maurus adivi (leonem) (*Carm. Min.* IV, 30) = nec leonem adivi more Maurorum.

Prælia victa reformat (*Carm Min.* IV, 37) = prælia reformat postquam victi sunt.

Crimina purgabit de tempore prisco (*Orest.* 543) = crimina purgabit patrata tempore prisco.

At genetrix dilata = at genetrix, cum mors ejus dilata esset. (*Orest.* 729.)

(Calculus) datur ad vitæ numerum (*Orest.* 945) = ad eorum numerum quibus vita Oresti servatur.

## CAPUT VII

### DE CONJUNCTIONE

### I

Non jam differunt inter se conjunctiones copulativæ, disjunctivæ, adversativæ, et causales ; sed una pro alia temere usurpatur.

AUT = et, *Orest.* 275-276 :

Eversorem Asiæ foderet quod cultor agelli
Aut [et] desertor iners, ovium pecorumque magister.

AUT = sed, *Carm. Min.* x, 230 :

Non furit, aut [sed] tremuli strident in murmure dentes.

AUT CERTE = immo, *Laud. Dei*, III, 255-256 :

Ausi omnes scelerare manus de morte suorum,
Aut certe [immo] de strage sua.

NAM = et, *Carm. Min.* VIII, 36-37 :

. . . . . . . . . . tunc virgo decora
Victa dolet, nam [et] tristis abit.

Cf. *Ibid.* 432, 500 ; *Orest.* 381.

*Laud. Dei*, III, 271-272 :

. . . . . . . . . . . . . petit arma tyranni,
Nam [et] cui bella negant, fecerunt jurgia mortem.

Nam = sed, *Carm. Min.* v, 208 :

> Inde fuit Cæsar, dominatio prima senatus.
> Nam [sed] domitor Libyæ, bellorum Scipio fulmen...

*Orest.* 70:

> . . . . . . . da veniam si corruis ense deorum ;
> Nam [sed] vivam te membra docent...

*Orest.* 436:

> . . . . . . . . . . . . . in crimine tanto
> Barbara turba fuit ; nam [sed] tu, regina Pelasgum...

*Ibid.* 511 : Nam [sed] nec inultus ero ; 941 : (calculus) Albus adest vitæ, nam [sed] mortem russeus urget. — Item forsan, *Orest.* 677 : Cunctis nosse licet, solis nam [sed] scire negatur Complicibus scelerum (ita ex Rothmaler, *Orestis tragœdia emendatur*, p. 24; Baehrens scripsit : solis rescire ; Schenkl, sed scire). *Sat.* 10 : Omnia tempus habent, nam [sed] tibi tempus abest ; *ibid.* 55 : Nam [sed] Deus omnipotens potuit, dum conderet urbem. — Cic. *ad Attic.* ix, 2.

Sed = et, *Laud. Dei,* i, 479 : Circunventa perit, sed [et] circumscripta fefellit.

*Laud. Dei*, ii, 701 : Sint quibus ignoscas, sed [et] non semel ista relaxas.

*Ibid.* iii, 17 : Celsior excelsis, specie sed [et] pulchrior omni.

Sed = tamen, *Carm. Min.* x, 431-433 :

> . . . . . . . . . Non ire polus nec Luna videtur
> Hic tauros urgere suos, sed [tamen] crinibus astra
> Ignitis responsa dabant.

*Orest.* 412-415 :

> . . . . . . . Cunctos decedere jussit ab aula
> Ac domibus remeare suis ; sed [tamen] vilis adulter

Nescius atque rudis regnorum frena tenere
Ipse sibi genium fastu facit.

Seu = et, *Sat.* 5 : (Deus) Principio seu [et] fine carens, et temporis expers.

Vel = et, *Carm. Min.* II, 62-63 : quas ure sagittis Corda vel [et] illarum dulci continge veneno ; *Carm. Min.* V, 57 : indignus habetur Vel [et] fastiditur, Cf. *Ibid.* 181 ; VI, 36 : Quorum umbone tegor, vel [et] quorum numine vivo ; *Ibid* 88 : Hæc inopes dotare solet vel [et] pascere egenos. Cf. *Carm. Min.* VII, 21 ; VIII, 77, 264, 452, 515, 535, 564, 613. — Sic etiam, *Carm. Min.* IX, 38-39 :

Andromache viduata gemit ; vel [et] ad ubera parvum
Astyanacta tenens sic cælum questibus implet.

*Ibid.* 61 : Ut Martis declinet opus vel [et] fulmina campi Effugiat. — Cf. *Carm. Min.* X, 197, 203, 335, 352, 362, 553, 576 ; *Orest.* 38, 271, 362, 405, 505, 550, 565, 649. Sic tandem

*Laud. Dei*, I, 266 : Fetibus eductis concordant unda vel [et] ignis.

*Ibid.* 396-397 :

Omnia pulchra gerens, oculos, os, colla manusque
Vel [et] qualem possent digiti formare Tonantis.

*Ibid.* 466 : Simplicitasque cadat, vel [et] credula corda reatum Incurrant. Cf. *Laud. Dei*, I, 717 ; II, 94, 130, 242, 459, 582, 645 ; III, 49, 134, 222, 428, 588 ; *Sat.* 8, 77, 160, 230, 257.

## II

Cunjunctiones subordinationis non semper secundum grammaticas leges usurpantur, et interdum inter se sensu confunduntur.

CUM

*a*) Indicativum loco subjunctivi accipit, *Carm. Min.* x, 600-601 :

Sitque nefas coluisse deos, quia crimen habetur
Relligionis honos, cum dat [det] pro laude pericla.

*b*) Subjunctivum contra, indicativi loco, *Laud. Dei*, II, 589-590 :

Cum te non caperent [capiunt] cæli terræque fretumque,
Aeris et spatium, modico te corde reponis.

*Sat.* 255 : Omnia cum redeant [redeunt], homini sua non redit ætas.

*c*) Ponitur etiam pro « etiamsi, licet », *Laud. Dei*, I, 401 :

Accipit et fœnus, cum non sit debitor ullus.

Cf. Cic. *pro Mil.* 35; *ad Famil.* III, 7 ; — Corn. Nep. *Eumen.* 10.

DONEC

Cum indicativo subjunctivi loco legitur, *Laud. Dei*, I, 104-106 :

Et non agnoscit Dominum quicumque furentem
Donec in extremos gemitus recidente ruina
Ingravat [ingravet] incautum graviori pondere frangens.

Cf. Riemann, *Syntaxe latine*, pp. 353-354.

DUM

*a*) Subjunctivum indicativi loco accipit (Cf. Goelzer, *Grammaticæ.... observationes*, pp. 56-58), *Laud. Dei*, I, 702-705 :

Alveus expavit violento vertice torrens
Dum reduces sentiret [sentiebat] aquas, et sisteret [sistebat] amnem

Visa Dei faciès, et marmora glauca fugaret [fugabat]
Gurgitis æquorei.

*Laud. Dei*, II, 371-372 ; III, 495-496, 371-372 :

Dum lueret [luebat] victor pœnas virtutis honestæ
Maxima justitium victoria grande paravit.

*Sat.* 55-56 :

Nam Deus omnipotens potuit, dum conderet [condebat] orbem,
Tristibus amotis, gaudia sola dare.

*Ibid.* 167-168 :

Ipse inimicorum Salomon non colla pepercit
Dum peteret [petebat] Dominum, sed sapientis opem.

*Carm. Min.* II, 26-27 :

Et clipeo rutilante tonet [tonat] dum miles, adulter
Conjungat noctes subtracta luce dierum.

*Carm. Min.* V, 10-12 :

Jam non pro patria vir fortis bella gerebat
Defendens umbone latus, per prælia cristas
Dum quateret [quatiebat] galeatus apex.

Item *Carm. Min.* IX, 107 ; *Orest.* 49, 453 ; Cf. Riemann, op. cit. p. 360.

*b*) Ponitur pro « cum », et tunc etiam subjunctivum immerito accipit. *Laud. Dei*, II, 636-637 :

Intumuere sinus rugis pereuntibus alvi
Dum tantum sit [est] mater anus paritura prophetam.

Cf. Goelzer, *S. Jérôme*, p. 358.

*c*) Ponitur pro « ut, ubi », *Orest.* 613-614 :

. . . . . . . . . . . . quæ turba ministra
Credula dum fuerit, nobis mox corde favebunt.

LICET

Indicativum accipit subjunctivi loco, *Laud. Dei*, III, 387 :

Constituit punire malum, licet ipse fefellit [fefellerit].

*Carm. Min.* II, 97-98 :

Et licet invalidus hæc pondera ferre laborat [laboret]
Ipse tamen gaudet.

*Carm. Min.* IX, 210-212 :

. . . . . . . . . . . licet hæc mortalia fata
In se nulla timet [timeat], tamen heu! te, fortis Achilles,
Mortalem genuisse dolet.

Apul. *Metam.* II, 6 ; — Coripp. *Laud. Justin.* I, 3 et 85 ; — Macrob. *Saturn.* I, 11 ; — Ulp. *Dig.* II, 15, 8.

QUAMVIS

Cum indicativo subjunctivi loco usurpatur, *Laud. Dei*, III, 357 :

Quamvis nemo suas stravit [straverit] post bella cohortes.

*Ibid.* 665 : Quamvis nemo tua præconia congrua dixit, [dixerit].

*Carm. Min.* IX, 10-11 :

Quid prohibes tumulos, quamvis factura sepulchri
Temnitur [temnatur] et nihil est [sit], quod vis, in morte piaclum.

Sic cum indicativo usurpaverunt quamvis Corn. Nep. *Milt.* II, 3 ; — Liv. II, 40 ; — Colum. II, 9 ; — Cf Riemann, op. cit. pp. 328-329.

Ut

Subauditur in duobus locis, *Orest.* 15 : Da valeam ; — Cic. *ad Attic.* VIII, 6, 2 ; — *Carm. Min.* VIII, 186-187 : Et genus ingratum pœnas persolvat avari Exoptat. — Cf. Riemann, op. cit. p. 295.

Quo

Ponitur pro ut in enuntiato, quanquam abest comparativus, *Laud. Dei*, I, 379-380 :

Sed quo plenus amor toto de corde veniret,
Noscere in uxore voluit sua membra maritum.

Cf. Cic. *pro Planc.* XXI, 52 ; *pro Cluent.* LI, 140.

Quia et Quod.

Quia cum indicativo vel Quod cum subjunctivo aut indicativo vicem infinitivi cum accusativo conjuncti gerit ; Cf. Goelzer, *Grammat... observat.* pp. 67-69 ; *S. Jérôme*, pp. 375-383 ; — Gamber, op. cit. p. 189.

*a*) Quia cum indicativo, *Laud. Dei*, II, 100 : novit quia sic tulit artus.

*Carm. Min.* VII, 10 : Cantarem quia Cypris adest (fr. gall. : je dis que...).

IX, 111-112 :

Non docuit quia mæstus odor, quia putre cadaver
Aera, tellurem, ventos animasque gravabit.

X, 346-347 :

Agnovi quia furta paras, quia mente fugaci
Infaustum quodcumque cupis.

*Ibid.* 350 : Et tu Medeam credis quia fallis, Iason ? (fr. gall. : tu crois que...).

*Ibid.* 353 : ...lateat socios quia jam sic regnat amicus.

*Orest.* 673 : Indicat occulte paucis quia vivit Orestes.

*Ibid.* 760 : (testabitur) Consortes scelerum quia sors manet una malorum.

*Ibid.* 900 : Forte refert quia mater erat scelerata profana.

Adhibet etiam simul et « quia » et infinitivum cum accusativo, *Carm. Min.* vii, 15-16 :

Armaque amoriferum secum huc vexisse volucrem
Vulgarim, quia tela gerit...

*b*) Quod cum indicativo, *Laud. Dei*, iii, 150-151 :

Non agnoscit iners animi, rationis egenus
Tempora quod mundi rebus sunt capta duobus.

*Sat.* 17-18 :

Hoc tua verba probant Moseo dicta prophetæ
Quod duraturus cor Pharaonis eras.

*Sat.* 216 :

Quod pereunt populi, temporis ordo regit.

*Orest.* 355 :

Fingere quod pelagus rabidum demersit Atrides.

*Ibid.* 653-654 :

Quamvis Cassandræ fuerint responsa priora
Quod superest cita pœna reis.

*Ibid.* 870 : Vidit ut armatur quod ferro more sacerdos. (Baehrens scripsit armetur, sed Rossberg restituit armatur, ex codic. Cf. *Materialien*, ii, p. 97.)

*c*) Quod cum subjunctivo, *Carm. Min.* viii, 117-118 :

Fama volat per templa Deum quod pastor ab Ida
Se velit ostendi regum de stirpe creatum.

*Ibid.* 594-596 :

. . . . . . . . hoc tantum nosse fatetur
Quod pelagi rabies subverso gurgite ponti
Sparserit Iliacas in tempestate carinas.

*Carm. Min.* x, 353: (indicat)... quod lateat socios.

*Orest.* 129 : Credidit æquoreas quod rex sit mersus in undas.

*Ibid.* 275 : (credere quis posset)

Eversorem Asiæ foderet quod cultor agelli.

*d*) In hoc tandem loco, quod pro si adhibetur :

*Sat.* 215 : Quod pereunt hostes, regis fortuna vocatur.

Cf. Pallad. *de Re Rust.* III, 13 ; III, 24 ; v, 3 ; — Plaut. *Asin.* I, 1, 37. — Sæpe in *Script. Sacr.* Matth. IX, 28 ; Luc. XXIV, 7, 21, 34; Joann. III, 17 ; XI, 22, 24, 27 ; XXI, 3, 4, 7, 17, 24 ; Act. Apost. III, 17, etc...

## CAPUT VIII

### DE RATIONIBUS PROSODIACIS ET METRICIS

Prosodiacas et metricas rationes apud Dracontium optime explanavit Barwinski (1). Primo animadvertit « Afros, ut abundant vitiis, etiam quantitatum legibus spernendis insignes fuisse ». Inde exponit

1. Hanc quantitatis ambiguitatem præsertim in nominum propriorum usurpatione deprehendi, sed interdum etiam in aliis vocabulis ; sic

*a*) In nominibus propriis quantitas spernitur:

Martyrium **Stephano** qui fecerat, inde recepit.
(*Laud. Dei*, III, 572.)

**Stephanus**, ante alios, lapidum sub grandine martyr.
(*Sat.* 171.)

**Simona** mendacem sternit, spectante Nerone.
(*Laud. Dei*, III, 230.)

Aut certe de strage sua, **Menecea** Creontis
Statius ostendit.
(*Ibid.* 256-257.)

Alia afferunt exempla Rothmaler et Barwinski, loc. cit.

(1) *Quæstiones ad Dracontium...* Quæst. III. — Cf. etiam Rothmaler, op. cit. pp. 29-30 ; Gamber, op. cit. pp. 193-200 ; Migne, *Prolegom. ad Dracontium*, n° 139. — Observationibus utar quas annotandas de Dracontii rationibus prosodiacis et metricis censuerunt ; easdem supplebo, et tandem complura adjiciam.

*b*) Prima producitur syllaba in compluribus substantivis :

Exorans precibus **magum** per celsa volantem.
(*Laud. Dei*, III, 229.)

Quisquis adest sapiens **scholasticus** atque peritus.
(*Carm. Min.* VI, 41.)

Regia **familia** (1) scelus hoc punire precantur.
(*Orest.* 656.)

**Initium** factis lucem dat lucis origo.
(*Laud. Dei*, I, 131.)

Nec fuit **initium** nasci, nec finis obisse.
(*Ibid.* II, 516.)

Lucis ad æthereos tractus **thronumque** parentis.
(*Ibid.* 147.)

**Thronus** in excelsis humili te voce precatur.
(*Ibid.* 204.)

Exspectamus adhuc, det pauper **xenia** nobis.
(*Ibid*, 768.)

In uno adjectivo :

**Propitiusque** jubes ut bona cuncta gerant.
(*Sat.* 14.)

Producitur eadem syllaba apud Juvenc. I, 16 ; et apud Prudent. *Peristeph.* XIV, 130 ; Cf. Migne, *Prolegom. ad Prudentium*, n° 205. — Item producitur prima in verbo propitiare, Prudent. *Peristeph.* III, 215 ; Cf. Muller, *de Re metrica*, p. 451.

In duobus adverbiis :

« Venit Orestes », ait, sed **statim** credita non est.
(*Orest.* 708.)

(1) Cum adsunt tres aut quattuor deinceps syllabæ breves, semper apud Dracontium una, pro metri necessitate, producitur. Cf. infra initium, turibula, repudia, mulierem, arietem, etc.

Item producitur ab Avieno, *Progn. Arat.* 397, et a S. Avito, II, 180.

Nil faciens quasi cuncta facit ; sic **quoque** Polites.
(*Carm. Min.* VIII, 637.)

Anguicomæ vos **quoque** deæ. (*Carm. Min.* X, 439.)

Cf. Muller, op. cit. p. 382 ; producitur ab Ovidio, *Trist.* I, 6, 37 ; et III, 14, 27 ; sed ibi ponitur pro « et quo », v. g. quo sit tempore, quoque loco.

Producitur tandem prima in duobus verbis recerpere et reperdere. Cf. supra p. 65.

*c*) Prima syllaba corripitur in duobus substantivis et in quinque verbis :

Dentibus adduntur rubicundo labra **flabello**.
(*Laud. Dei,* III, 635.)

Præda cibusque fuit passer, hirundo, **picus**.
(*Sat.* 268.)

Et maculosa **repit** squamis per viscera serpens.
(*Laud. Dei,* I, 288.)

Continuanda manent, et succidenda **labuntur** (1).
(*Ibid.* II, 40.)

Civis et insontis **nititur** truncare cruentus (*Carm. Min.* V, 25) (2).

Et miseratus ait : **demus** adjutoria facto.
(*Laud. Dei,* I, 361.)

Judicio, Deus alme, tuo **detur** inde triumphus.
(*Laud. Dei,* III, 678 ; item *Carm. Min.* VIII, 314 ; IX, 226.)

Participans, quœcumque **fient**, mundoque minentur (3).
(*Laud. Dei,* I, 82).

(1) Ita ex codic. Vatic.; sed Arevalo scripsit labascunt.

(2) Forsan ex nitor, nitoris, cujus prima brevis est.

(3) Nisi legatur forent; forent pro fient, Cf. notam hujus versus in editione Migne.

Si disjuncta **fiant** solvetur machina rerum.
(*Laud. Dei*, II, 191, Cf. notam in edit. Migne.)

Si jactura **fiat** præstet compendia damnum.
(*Laud. Dei*, III, 135.)

Attamen alibi non corriptur prima, v. g.

Et pretium dat turba ; Dei commercia **fiunt**.
(*Laud. Dei*, II, 505.)

Cf. Gamber, op. cit. p. 196. — Inde concludi potest quantitatem libentius everti ubi adsit accentus grammaticus, ut contingit in vocabulis picus, repit, demus, detur, fient, fiat, etc... Cf. Muller, op. cit. p. 441.

*d*) Secunda syllaba non ultima in uno adjectivo corripitur :

Cum **vagabunda** volat commotis plausibus ales.
(*Laud. Dei*, I, 257.)

Dubia est lectio hujus versus ; sed vacuanda, loco « vagabunda » omnino rejiciatur. Si legatur natabunda, eadem observanda est correptio secundæ syllabæ.

*e*) Secunda non ultima producitur :

Eminet his cristatus apex, has lingua **decorat**. (*Laud Dei*, I, 248.)

Item apud Sil. Ital. *Punic.* XII, 743 ; decor enim in genitivo secundam syllabam producit, quæ etiam longa est in adjectivo decorus, a, um.

Dulcior affectus vel amara **repudia** mittat.
(*Carm. Min.* X, 295 ; Cf. supra p. 133, n. 1.)

Vidit Iphigeniam **turibula** sacra ferentem.
(*Orest.* 52 ; Cf. supra *Ibidem.*)

*f*) Tertia non ultima producitur :

De **muliere** perit dempto simul amne cruoris.
(*Laud. Dei*, II, 133.)

Datque nimis grandem **mulieribus** ira furorem.
(*Ibid.* III, 463.)

Cf. *Laud. Dei*, II, 660 ; *Sat.* 161 ; *Carm. Min.* VIII, 508 ; X, 5 ; *Orest.* 661. — Cf. supra p. 133 cum nota.

Mox pater omnipotens **arietem** subrogat aris.
(*Laud. Dei*, III, 111.)

Notandum est eamdem syllabam a Statio produci, *Theb.* II, 492 ; immo, apud Verg. (*Æn.* II, 492) primam produci, vocali i consonantis vicem gerente :

Custodes sufferre valent ; labat ariete (arjete) crebro.

2. Quosdam breves vocum exitus solius arseos vel cæsuræ vi longos effici :

Distribuit loca certa **Deus** et tempora fixit. (*Laud. Dei*, I, 293.)
**Projicere** nec plasma suum ; scit conditor ævi. (*Ibid.* 430.)
**Informis** ursus, fulvus leo, quid lupus audax. (*Ibid.* II, 259.)
Sarmata, Persa, **Gothus**, Alamannus, Francus, Alanus.
(*Carm. Min*, V, 35.)
Perdit et **elusa** feritas pietate nocentis. (*Carm. Min*, VIII, 579.) (1)
Dum **precibus** elementa quatit mare, sidera, terras.
(*Carm. Min.* X, 139.)
Uritur **ingratus** usta cum virgine nauta. (*Ibid.* 519.)
Regia virgo **cito** per patria colla pependit. (*Orest.* 60.)
Quidquid **agis**, impune geris, scelerisque peracti. (*Ibid.* 197.)
Extimuit natura **chaos** elementa tenebras. (*Ibid.* 784.)

Sic non raro apud classicos poetas, v. g. Verg. *Buc.* I, 39

(1) Quidam scribunt « elusa est

x, 69 ; *Georg.* II, 5 ; *Æn.* II, 369 ; III, 464 ; V, 284 ; XI, 111, etc...

5. Vocalem **o** substantivorum tertiæ declinationis, primæ personæ numeri singularis præsentis vel futuri, adverbii modo et conjunctionis quando indubie haberi pro communi :

*a*) in substantivis :

Est **homo** quem libuit per se formare Tonantem. (*Laud. Dei*, II, 250.)
Est **homo** grande malum, legis transgressor et audax. (*Ibid.* 352.)

Cf. *Sat.* 38, 92, etc...

Qui nasci dignatus **homo** membratur in artus. (*Laud. Dei*, II, 78.)
Passibilis, mortalis **homo** sine fine perennis. (*Ibid.* 81.)

Cf. *Carm. Min.* VIII, 8, 10, 634 ; X, 444 ; *Laud. Dei*, II, 431, 720, etc.

Informis ursus, fulvus **leo**, quid lupus audax. (*Laud. Dei*, II, 259.)
Non semper movet arma **leo** nec scorpius ictus. (*Laud. Dei*, I, 295.)

Cf. apud Barwinski (op. cit. pp. 7-8) multa exempla, præsertim ex minoribus carminibus deprompta.

*b*) In indicativo præsenti :

**Addo** quod innumeræ pestes mortale minantes. (*Laud. Dei*, II, 254.)
Et pallens **reddo** pro frugibus ipse poema. (*Carm. Min.* III, 18.)
Et **puto** collaudant Dominum meruisse creari. (*Laud. Dei*, I, 243.)
Quantos ipse **gero** culparum pondere pressus. (*Laud. Dei*, III, 571.)

Cf. multa alia exempla apud Barwinski, loc. cit.

*c*) In futuro :

**Ibo** libens comes ipse tuus per tela, per ignes. (*Orest.* 609.
Indumenta duci tunicam **dabo** vertice clauso.
(*Orest.* 211 ; Cf. *Ibid.* 611.)
Mille **dabo** pecudes, cervos hircosque suesque. (*Ibid.* 96.)

Cf. *Laud. Dei*, I, 750 ; II, 465 ; Cf. Barwinski, *Ibidem.*

*d)* In adverbio modo et in conjunctione quando :

Atque **modo** gelidis, calidis nunc flatibus ora. (*Laud. Dei*, I, 596.)
Jam **modo** dives eget cui confert indiga dextra. (*Laud. Dei*, II, 770.)

Cf. *Ibid.* II, 234, 296...

**Quando** dolens genitor planctus de pignore fecit.
(*Laud. Dei*, III, 335.)

Cf. *Carm. Min.* II, 103; V, 91; VII, 133, etc.

**Quando** percussam funebri viderit ictu. (*Orest.* 691.)

Cf. *Carm. Min.* VII, 159 ; IX, 132.

*e)* In gerundiorum ablativis finalis corripitur :

Ni vitium peccantis agat **perstando** maligne. (*Laud. Dei*, I, 93.)
Nil **reputando** Deo, per quem valet omne quod exstat.
(*Ibid.* II, 368.)
Per vexilla crucis hostis **populando** cohortes. (*Ibid.* 496.)

Cf. *Laud. Dei*, I, 497 ; II, 794 ; III, 103, 354, 384 ; *Sat.* 149 ; *Orest.* 226, 514, 909.

Apud tragicos et comicos veteres, in dissyllabis iambicis, quorum prior syllaba brevis est et posterior longa, posterior nonnunquam corripitur ; inde homŏ, leŏ, putŏ, dabŏ (1). Sic

Si tu sis **homo**, hic faciat. (Terent. *Adelph.* V, 8, 11.)
Dum hæc **puto**. (Terent. *Eun.* IV, 2, 4.)
Pellexit, **modo** non montes auri pollicens. (Terent. *Phorm.* I, 2, 18.)

Cf. *Adelph.* III, 1, 2 ; *Trin.* II, 4, 189 ; *Eun.* IV, 4, 46, etc...

(1) Cf. Havet, *Métrique*, p. 134, n° 126.

Non vero corripitur ultima in ceteris dissyllabis non iambicis, v. g. addo, reddo, quando (1). Sic

Deos **credo** voluisse. (Plaut. *Aulul.* v, 10, 13.)
**Pono** pallium (Plaut. *Curc.* II, 3, 77.)

nec in polyssyllabis, excepto **nescio** ; sic

Caput deponit, condormiscit, ego ei **subduco** anulum.
(Plaut. *Curc.* II, 3, 81.)

Sed, apud classicos poetas, ultima sensim facta est communis, et in dissyllabis iambicis, et in ceteris non iambicis ; sic corripitur ultima :

Dic mihi, cras istud, Postume, **quando** venit. (Mart. v, 58.)

Producitur ultima :

Una **modo** causas abeundi quærat honestas. (Lucret. IV, 1177.)

Inde postea communis facta est ultima etiam in polyssyllabis (2). Sic corripitur :

. . . . . . . . . . . . . . . **Formido** pericli
Perdurat teneras iter ad cruciabile plantas.
(Prudent. *Psychom.* 447.) Cf. *Peristeph.* x, 965.
**Postremo** medicum sævus insontem jubes. (Prudent. *Perist.* x, 968.)

Hinc apud Dracontium etiam inveniuntur multæ finales in o quæ communes indubie adhibentur.

6. Quasdam alias finales syllabas non legitime breviari in nominibus propriis et in aliis vocabulis.

*a*) In nominibus propriis :

**Chryses** Apollineus ; hinc sunt hinc funera mæsta.
(*Carm. Min.* IX, 102.)

(1) Cf. Havet *Métrique*, p. 135, n° 127.
(2) *Ibidem*, pp. 141-142.

Inde **Eteocles** erat frater Polynicis et hostis
Et **Polynices** inops germani morte peremptus. (*Ibid.* x, 585-586.)
Cujus erat nimium fidus **Pylades** amicus. (*Orest.* 291.)

Cf. *Orest.* 517, 666, 698, 708, 710, 865.

*b*) In aliis substantivis :

**Moles** et immensa, mittenda e fonte perenni. (*Laud. Dei,* I, 603.)
Et pœnæ sit **merces** amor, pia pignora, nati. (*Carm. Min.* VI, 56)
Vindicat aut fremitus pigra **senectus** habet. (*Sat.* 224.)

Item apud Corn. Gall. *Eleg.* I, 246 : Continuos gemitus ægra senectus habet ; Cf. palus apud Horat. *Epist. ad Pison.* 65.

*c*) In adjectivo impar :

Jam regno non **impar** erat, sed sceptra tiaram
(*Carm. Min,* VIII, 213.)

nisi cum Ribbeck legatur : Jam regno socius Paris est. Sed jam ultima correpta est ab Auson. *Eidyll.* XI, 54 ; item a Prudent. *in Symmach.* I, 168.

7. Dracontium pertæsum esse elisionum, ideoque ut eas vitaret omnibus nervis contendisse, et dimidiam fere vel tertiam partem elisionum apud eum inveniri quæ in carminibus suis Ovidius et Vergilius admiserint.

8. Ex variis cæsurarum generibus sæpissime post tertiam arsin cæsuram obtrudi, semperque fere cum incisione post quartam arsin consociari ; — versus ubi quartam et quintam sublationem una vox comprehendat tam putida diligentia devitari ut in mille versibus non sæpius quam quater obviam fiant ; — versus sine cæsura post tertiam arsin factos et tantum post quartam sublationem incisos omnino deesse ; — cæsura tandem post tertium trochæum cum trihemimeri et hephthemimeri conjuncta nullum scriptorem totiens quotiens Dracontium usum esse (Cf. Meyer, *Die Berliner Centones,* p. 257).

Notandum est hæc omnia non Dracontio esse propria, sed apud æquales poetas vulgo inveniri. — Pauca tandem addenda mihi videntur :

1. Verba Dracontio in versibus sic collocari placuit ut, si fuerint duo nomina quorum utrumque cum adjectivo consocietur, in initio versus utrumque adjectivum et in fine nomen priori adjectivo, deinde nomen posteriori adjectivo conjunctum, verbo in medio versu interposito, legatur ; sic, v. g.

Florea purpureas retinebant frena columbas. (*Carm. Min.* VI, 75.)
Fortior occisi consurgens ultor amici. (*Ibid.* IX, 54.)
Candida sanguineum monstravit luna ruborem. (*Laud. Dei*, II, 520.)
Optima perpetuæ sumpsisse hæc munera vitæ. (*Ibid.* 574.)
Publica funereo turbantur gaudia vultu. (*Laud. Dei*, III, 368.)

Hic loquendi modus nonnunquam apud classicos poetas invenitur ; sed multo sæpius a Dracontio usurpatur ; sic, v. g. in primo Æneidos libro, qui ex septingentis quinquaginta sex versibus constat, bis tantum legitur, v. 172 et v. 269 ; in libro octavo, qui ex septingentis triginta uno versibus constat, ter tantum legitur, v. 43, v. 319, v. 654 ; apud Dracontium vero, in decimo carmine minori, quod ex sexcentis uno versibus constat, duodecies usurpatur, vv. 24, 158, 220, 224, 260, 265, 275, 294, 387, 440, 473, 480 ; in Orestis tragœdia, quæ ex nongentis septuaginta quattuor versibus constat, undevicies reperitur, vv. 5, 27, 31, 43, 50, 118, 128, 230, 253, 255, 329, 432, 450, 524, 568, 789, 798, 805, 962. Attamen, in *Laud. Dei*, hujusmodi versus non tam multi numerantur ; sic, in primo libro qui ex septingentis quinquaginta quattuor versibus constat, sex tantum leguntur, vv. 70, 208, 277, 324, 631, 671.

2. Spondiaci versus omnino desunt.

3. Non multi sunt hiatus ; complures tamen leguntur ; sed sedulo notandum, in omnibus fere casibus, hiatum evenire inter duo vocabula quorum posterius incipit littera h, et ideo hiatum asperitate minui, aut etiam prope tolli, littera h consonantis vicem gerente.

Pastorem confessa virum. | Haec Liber aiebat (*Carm. Min.* x, 327.)
Jam nutant per inane rotae | hinc inde labantes (*Ibid.* 565.)
Consilio succumbe meo : | hæc una medella est (*Orest.* 216.)
Sanguinis oblitum, | humani juris egenum (*Ibid.* 894.)
Si decreta Deum | homini tractare liceret (*Ibid.* 947.)
Quo libuit genuisse Deum | ante omnia Christum (*Laud. Dei,* II, 60.) (1).

Hinc armata manus ferro, | hinc dentibus ora. (*Laud. Dei,* III, 200.)
Pelle famem, | exclude sitim, compesce dolores.
(*Laud. Dei,* III, 605[6] Cf. *Appendic.*)

4. Præfatio primi ex minoribus carminibus (ed. Baehrens, p. 128) ex versibus septenariis trochaicis, aut potius ex tetrametris trochaicis catalectis constat. Differunt enim in eo quod, apud Græcos, pedes quos spondeo aut dactylo aut anapæsto compensare liceat, secundum aut quartum aut sextum locum in versu obtinere debeant ; apud Latinos vero, præter Horatium et Senecam, quemcumque locum, excepto tantum septimo, obtinere possunt. Græcorum metricas leges servat Dracontius ; nec decimus quartus quidem versus excipiendus est, qui, cum nominum propriorum quantitatem parum curet poeta, sic scanditur :

Barba | ris qui | Romu | lidas | jungis | audi | tori | o.

Dactylus ipse bis tantum apparet v. 6 et v. 12 ; lex tan-

(1) Ita ex Cod. Vatic. Sed Arevalo, ut vitaretur hiatus, scripsit : ante hæc omnia.

dem quam Porsonianam vocant Dracontium fugit, sicut Horatium et Senecam.

5. Plurimi apud Dracontium inveniuntur versus qui in cadendo eumdem referunt sonum, et ideo nostrorum temporum versificationis leges portendunt. Quintuplicis autem generis potest esse talis consonantia (1) :

*a*) Consonantia levissima, quæ ex una littera constat, v. g.

Quae Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando. (Verg. *Æn.* 251-252.)

*b*) Consonantia levis, quæ ex duabus litteris constat, v. g.

Sed glomerare manum bello et concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi ; furor iraque mentem
Præcipitant. (Verg. *Æn.* II, 315-316.)

*c*) Consonantia plena, quæ ex ultima syllaba constat, v. g.

Nituntur gradibus, clipeosque ad tela sinistris
Protecti objiciunt ; pensant fastigia dextris. (Verg. *Æn.* II, 443-444.)

*d*) Consonantia plenior, quæ ex compluribus syllabis constat, quin tamen accentus in eamdem syllabam cadat, v. g. vertice — pernice ; urgere — tegere, sic :

(Sed Joannes Apostólus)
Cucurrit Petro cítius,
Ad sepulchrum venit príus.

Hujusmodi consonantia in versibus hexametris non invenitur, quia in his versibus pene ultima syllaba semper longa esse debet, et ideo accentum habere.

(1) Cf. Fuss, *Dissertatio versuum homœoteleutorum.....*

*e*) Consonantia plenissima, quæ ex duobus saltem syllabis constat, cum accentus in eamdem utriusque versus syllabam cadit, v. g.

Dixerat. Ille Jovis monitis immota tenébat
Lumina, et obnixus curam sub corde premébat (Verg. *Æn.* IV, 331-332.)

Quos rami fructus, quos ipsa volentia rúra
Sponte tulere sua, carpsit, nec ferrea júra. (Verg. *Georg.* II, 500-501.)

Hæc est tantum vera et perfecta consonantia ; ceteræ tamen inveniuntur, plerumque in poetarum ecclesiasticorum operibus ; sic, v. g. levissima et levis consonantia invenitur in prosa « O Filii » quæ tempore paschali canitur :

*a*) levissima :

Et Maria Magdalene,
Et Jacobi et Salome,
Venerunt corpus ungere.

*b*) levis :

Postquam audivit Didymus
Quia surrexerat Jesus,
Remansit fide dubius.

Sed multo sæpius adhibetur plenissima consonantia, v. g. in prosa « Stabat Mater » :

Stabat Mater dolorosa
Juxta crucem lacrimosa,
Dum pendebat filius.

* * *

Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem,
Pertransivit gladius.

Cf. etiam prosas « Dies iræ », « Lauda Sion », etc.

Apud Dracontium plurimæ inveniuntur omnium generum consonantiæ, excepta consonantia pleniore.

*a*) Consonantia levissima :

Sic effata volens rapitur per colla tyranni
Jam Priami cum clade nurus; sic terga juvenci
Europam rapuere dei, cum Juppiter ipse
Taurus Olympiaca produxit cornua fronte.
(*Carm. Min.* VIII, 556-559.)

Concutiunt animosque viri ; mors ore cruento
Inter Trojanos discurrit sævaque et ævo
Heu ! quanto raptura viros, quot fata datura
Aut quantas per bella nurus viduare parata.
(*Ibid.* 627-630.)

Cf. *Carm. Min.* I, 16-17; II, 16-17, 40-41, 89-90, 106-107; V, 23-24, 36-37, 169-170, 241-242; VI, 44-45, 92-93, 98-99, 106-107; VII, 20-21, 63-65, 96-97; VIII, 52-53, 95-96, 184-185, 287-288, 435-436, 474-475, 498-499, 504-505, etc... Item *Laud. Dei*, I, 6-7, 84-85, 93-94, 182-183, 193-194, 200-201, etc. etc...

*b*) Consonantia levis :

In fescenninos fremitus et gaudia mentis
Adfuit interea Cypris subvecta columbis ;
Apparet de parte poli, qua flammeus axis
Volvitur australis collustrans cardinis oras.
Florea purpureas retinebant frena columbas
Et rosa blandifluas rutilans nectebat habenas.
(*Carm. Min.* VI, 71-76.)

. . . . . . . . . . Vos saltem surgite, cives,
Rumpite complexus quos dant per colla parentes
Infausto juveni ; muris depellite fratrem !
En hostis quem fata canunt, qui mortibus urbem
Egeret, et Priamum faciet non esse sepultum.
Pectore Cisseo rapiatur pignus acerbum.
(*Carm. Min.* VIII, 159-164.)

Cf. *Carm. Min.* II, 4-5, 98-99, 110-111; III, 6-7; IV, 14-15, 19-20 ; V, 30-31, 111-114, 234-235, 250-251, 272-274.

307-308, 325-326; vi, 14-15, 18-19, 29-31, 34-35, 38-39, 46-47, 61-62, 111-112; vii, 18-19, 23-24, 48-49, 58-59, 93-94, 106-107, 141-143; viii, 5-6, 85-86, 98-99, 107-108, 136-137, 167-168, 175-176, 291-292, 321-322, 330-331, 345-347, 399-400, 414-415, 418-419, 431-433, 452-455, 459-460, 467-468, 529-530, 576-577, 639-640, etc... Item *Laud. Dei*, i, 67-68, 74-75, 77-78, 80-81, 82-83, 95-96, 113-114, 119-120, 162-163, 180-181, 185-186, 203-204, 217-218, 253-254, etc. etc...

*c*) Consonantia plena :

Illustris matrona dolens, plebeia lacertos
Scinderet ungue secans vultus pia turba modestos.
(*Laud. Dei*, iii, 378-379.)

Otia contemnens, magnum cum plebe senatum
Compulit infelix ad inexorabile pactum.
(*Ibid.* 411-412.)

Erigitur juvenale fremens ; mortale minatus
Dentibus inlisis frangebat murmura motus.
(*Orest.* 617-618.)

Cf. *Carm. Min.* iii, 27-28; v, 11-12, 51-52, 58-59, 118-119, 206-207, 300-301; vi, 41-42, 84-85; vii, 110-111; viii, 62 63, 73-74, 169-170, 273-274, 299-300, 428-429, 461-462, 465-466, 541-542, 591-593, 599-600, etc... Item *Laud. Dei*, i, 32-33, 102-103, 124-125, 136-137, 188-189, 214-215, 255-256, 377-378, 436-437, 450-451, 476-477, etc. etc...

*d*) Consonantia plenissima :

Nobilium plures decepti fraude clientes
Canities despecta senum, læsique parentes.
(*Laud. Dei*, ii, 310-311.)

Nam pavor unus erat, totum sors mortis habebat,
Nec qui fleret erat, cunctos mors una tenebat.
(*Ibid.* 380-381.)

Redditur, et redeunt cunctis iræque metusque
Jam tecta tellure feris gregibusque avibusque.
(*Ibid.* 395-396.)

Servarent abstrusa nimis, nec gemma lateret
Omnia sed passim facies telluris haberet.
(*Ibid.* 451-452.)

Sed scelus agnoscens culpas impune fatetur,
Sic reus et veniam sceleri sub voce meretur.
(*Ibid.* 655-656.)

Erigit elisos, relevat tua dextra jacentes,
Confovet abjectos, et semper pascit egentes.
(*Ibid.* 686-687.)

Cf. *Carm. Min.* II, 123-124 ; v, 85-86 ; VI, 1-2, 78-79 ; VIII, 39-40, 518-519, 608-609 ; x, 165-166 ; *Orest.* 87-88 ; 252-253, 964-965 ; *Laud. Dei*, I, 554-555, 695-696 ; III, 17-19 , 83-84, 289-200, 681-682.

Non est animadvertendum duas partes ejusdem versus eumdem sonum referre, v. g.

Voce sua *laudant*, te nubila crassa *coruscant*. (*Laud. Dei*, II, 213.)
Sollicitant *animas* mortis jam lege *quietas*. (*Ibid.* 325.)

Plurimæ enim sunt hujus modi consonantiæ in versibus Dracontii ; sed et apud ceteros latinos poetas inveniuntur, qui adjectivum et substantivum, quorum sæpissime eadem est consonantia, unum ante cæsuram et alterum in fine versus libenter collocabant. (Cf. Plessis, *Métrique grecque et latine*, pp. 36-38, 129, 244, 252, 275-278.)

Sæpe igitur apud Dracontium eumdem in cadendo versus referunt sonum ; sed cum passim et quasi fortuito inveniantur, nulla harum consonantiarum ratio proferri potest, nec quicquam inde concludendum, nisi poetas non solum non jam abhorrere hujus modi consonantiis, quas plerumque accurate devitarent classici poetæ, sed libenter

ac sæpe eas adhibere, et ideo latinam versificationem ad nostram sensim accedere. Ceterum, quod si de Dracontii versibus nil certius concludere possum, non miror ; nam consonantiæ primum delectaverunt poetas prout vulgi memoriæ auxilium ferebant ut versus teneret, v. g. in hymnis ecclesiasticis. Dracontius vero nunquam hoc propositum in animo habuit, qui, in minoribus carminibus, antiquas fabulas excultis tantum et doctis notas tractavit, atque carmina sacra, id est, Satisfactionem et Laudes Dei composuit ut a Vandalorum rege in libertatem restitueretur. Cui non ideo singularis consonantiarum cura non fuit, quas tantum non vitavit, quia in vulgaribus hujus temporis poematis sæpe jam usurpabantur.

# CAPUT IX

## DE TUMORE AFRICANO

Tumor Africanus vocari solet quædam magniloquentia, Africanis scriptoribus propria, qua eandem sententiam compluribus ejusdem generis verbis efferre solent. Quod vitium ex Asiaticis oratoribus Romam venit (1), ubi mox in foro ita floruit ut a Quintiliano, qui id « omnium in eloquentia vitiorum pessimum » merito vocat (2), et a Petronio (3) valde impugnari meruit. Inde ad Afros translatum est, qui, naturali verborum bene sonantium studio impulsi, tanto hujusmodi tumoris amore incensi sunt ut non solum in oratione, sed et in omni scribendi genere immodice coluerint ; immo, vel in epitaphia permanavit (4) ; a fortiori in poesi invenitur.

Ut autem oratorius tumor in duplicem partem a Quintiliano (5) dividitur πλεονασμὸν, nempe et περιεργίαν, ita duplex distinguitur Africanus tumor, cujus multa inveniuntur apud Dracontium exempla, prout vel pleonasmis vel multiplici enumeratione, id est, nimio verborum acervo sententiam aperit.

Multiplicis generis sunt pleonasmi. Nunc enim ex sub-

(1) Quintil. *Institut. Orat.* XII, 10.
(2) *Ibid.* VIII, 3.
(3) *Satyr.* I.
(4) Cf. *Archiv. für lat...* t. VIII, pp. 182-183. Cf infra p. 152, n. 1.
(5) *Institut. Orat.* VIII, 3.

stantivo et adjectivo constant (quod, apud classicos poetas, *epitheton naturæ* vocant), v. g. flammeus ignis (*Laud. Dei*, I, 144) ; rubor rutilans (*Ibid.* 204) ; rubor roseus, candor lacteus (*Carm. Min.* II, 66) ; pulchra decore (*Ibid.* VIII, 518) ; debilitas lassa (*Ibid.* IX, 9) ; virginitas casta (*Ibid.* X, 454) ; glaciale gelu (*Ibid.* XI, 24) ; materna noverca (*Orest.* 350) ; somnigerum soporem (*Orest.* 805) ; Cf. etiam *Orest.* 33, 172, 225, 493. — Nunc ex duobus substantivis, v. g. pietatis amor (*Carm. Min.* VIII, 221 ; *Orest.* 38, 659 ; *Laud. Dei*, I, 100, 692) ; glacies aquæ (*Laud. Dei*, I, 143) ; cæsaries intonsa comis (*Ibid.* 395) ; pignora nati (*Carm. Min.* VI, 56) ; fons, auctor, origo (*Ibid.* VIII, 8) ; dictorum verbis (*Ibid.* 507) ; muneribus opum (*Orest.* 380) ; Cf. etiam *Laud. Dei*, I, 67, 235, 300 ; II, 307, 446, 459 ; III, 21, 518 ; *Carm. Min.* V, 58, 142, 218 ; VIII, 205, 335, 430 ; IX, 44 ; *Orest.* 402, 451, 473, 483. — Nunc ex duobus adjectivis aut participiis, v. g. infixa hærens (*Laud. Dei*, I, 259) ; fornax ignea ardens (*Ibid.* III, 166) ; Elinguisque fuit voce tacente silens (*Sat.* 40) ; recidiva resurgens (*Carm. Min.* V, 115) ; jejunus et expers (*Orest.* 91) ; Cf. *Orest.* 193, 414, 710, 711, 739. — Nunc ex duobus verbis, v. g. tempus adest veniens (*Laud. Dei*, I, 110) ; Ut præstet bona dans conferat atque animæ (*Sat.* 192) ; purpuret et niteat limen (*Carm. Min.* VII, 46) ; lætatur gaudens (*Ibid.* VIII, 609) ; subjicit et inquit (*Orest.* 666) ; Cf. *Laud. Dei*, II, 189, 570 ; III, 666 ; *Sat.* 57 ; *Carm. Min.* V, 113. — Nunc e verbo et adverbio, v. g. moderanter temperat (*Laud. Dei*, I, 94) ; reditura secundo (*Ibid.* 111) ; iterum revocare (*Ibid.* II, 120) ; reditura iterum (*Ibid.* 196). — Nunc ex adjectivo et adverbio, v. g. rursus reduces aquæ (*Laud. Dei*, II, 163) ; ubique per cuncta (*Carm. Min.* II, 152). — Nunc tandem ex duobus adverbiis, v. g. merito justeque creavit (*Laud. Dei*, III, 146).

Plurimæ sunt etiam enumerationes, quæ triplicis generis sunt; nunc enim iterantur enuntiata, v. g.

Et quod floret humus, viridis quod germinat herba,
Quod spicat messis, quod ramis parturit arbor,
Quod gemmant vites, quod amœna comantia frondent,
Flumina quod mittunt fontes, quod fluctuat æquor,
Quod pelagi trahit unda, fretum quod littora tundit,
Murmure quod venti flantes vaga marmora crispant,
Quod generant terræ, quod flumina, pontus et aer,
Usibus humanis data sunt hæc cuncta venire.
(*Laud. Dei*, I, 573-580.)

Quem dolor accendit, pudor excitat, erigit ira,
Mens levat, attollunt animi, bonus impetus urget.
(*Orest.* 17-18.)

Diligat, optet, amet, cupiat, suspiret, anhelet.
(*Carm. Min.* X, 142.)

Cf. *Laud. Dei*, I, 156, 165, 601; II, 3-4, 803-807; *Orest.* 17-18.

Nunc adjectiva coacervantur, v. g.

. . . . . . . Mens sancta Parentis
Multa, profunda, potens, sollers, pia, provida, perpes,
Simplex, celsa, levis, vibrans, immensa, serena,
Vivida, cunctipatens, mens innumerabilis, una.
(*Laud. Dei*, II, 62-65.)

Impubes, lascivus atrox, violentus amœnus,
Lis pacis, tacitus reloquax, furtivus et audax,
Nudus et armatus, ferus et pius, improbus insons.
(*Carm. Min.* VII, 12-14.)

Cf. *Laud. Dei*, II, 104-105, 504, 803-807; III, 16-21; *Carm. Min.* V, 53-54, 173, 237, 268; VII, 72; X, 52-54.

Nunc tandem congeruntur substantiva, v. g.

Paupertas, mors, vita, salus, opulentia, languor,
Tædia, tristitiæ, splendor, compendia, damnum,
Gaudia, nobilitas, virtus, prudentia, laudes,
Affectus, mæror, gemitus, successus, egestas,

Ira potestatum, trux indignatio rerum,
Omnia quæ veniunt, bona, gaudia, tristia, acerba,
Descendunt ex arce Dei, de sede Tonantis.
(*Laud. Dei*, I, 13-19.)

Sæve Furor, crudele Nefas, infausta Libido,
Impietas, Furiæ, Luctus, Mors, Funera, Livor.
(*Carm. Min.* X, 570-571.)

Pectora, cor, sensus, animum, præcordia, mentem
Conturbat pietas, dolor, angina, mæror, origo,
Affectus, natura, pudor, reverentia, fama (1).
(*Orest.* 557-559.)

Cf. *Laud. Dei*, I, 5-9, 117-126, 224, 434-436, 552; II, 2, 42; III, 1-4, 217-223, 315-317; *Sat.* 1-5; *Carm. Min.* II, 121; IV, 5; V, 35, 41, 319-320, 324; VI, 1-2, 4-5, 8, 16-17; VIII, 4-6, 61, 213-214, 286, 407, 646; IX, 112, 170, 228; X, 105, 111, 127-131, 139, 317, 405, 411; *Orest.* 214, 775, 836, 964-968.

Manifeste apparet etiam Africanus tumor nimio quarumdam rhetoricarum figurarum usu, quæ apud Afros in magno erant honore, et quas præsertim vocant anaphoras, chiasmos, alliterationes, et oxymora. Plurima harum nugarum exempla in minoribus Dracontii carminibus jam notavit Westhoff (*Quæstiones Grammaticæ*... pp. 41-43). Liceat hic afferre exempla ex *Laud. Dei* et *Satisfact.* deprompta.

1. **Anaphoræ** :

Quid fera, quid pecudes, quid peccavere volucres?
Quid cælum, quid terra, polus, quid pontus et astra?
Quid solis radii, quid lunæ frigidus orbis?
(*Laud. Dei*, I, 50-52.)

(1) Hos versus profert Kübler (*Archiv. für lat*... t. VIII, p. 183) quos proponit ut exemplar tumoris ultra quod nihil inflatius legitur, et quibus hoc epitaphium æquiparat : « Incomparabilis conjunx, mater bona, avia piissima, pudica, religiosa, laboriosa, frugi, efficax, vigilans, sollicita, univira, unicuba, totius industriæ et fidei matrona. »

Lux datur ante polos, lux clari causa diei,
Lux jubar æthereum, lux noctis limes et umbræ,
Lux facies rebus cunctis, et lux elementis,
Lux genitis factisque calor, lux gratia solis,
Lux decus astrorum, lux aurea cornua lunæ,
Lux fulgor cæli, lux et primordia mundi,
Lux splendor flammæ, lux magni temporis index,
Lux opus auctoris primum, lux cardo pudoris,
Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris,
Lux ævi meta, lux quæ dat tempora metis.
(*Ibid.* 117-126.)

Cf. *Laud. Dei*, I, 3, 160, 190, 244-245, 250, 328, 334, 408-409, 412, 572-579, 710-712 ; II, 28-29, 86, 140, 184-185, 202-215, 228, 232-233, 246-247, 277, 280, 360, 574-577, 578, 585, 683-684, 803 ; III, 24-25, 103, 139, 160, 200, 299, 383, 391-393, 578, 650-653, 674-676.

Item in Satisfactione :

Vipera sæpe juvat, vipera sæpe nocet (v. 66).

Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi,
Tempora dant lucrum, tempora damna ferunt (v. 259-260).

Cf. *Ibid.* 82, 91, 101, 112, 215-216, 220, 239-240, 248, 252.

2. **Chiasmi** :

Cohibet pœnam pœnamque minatur (*Laud. Dei*, I, 31) ; delicias perdunt discuntque labores (*Ibid.* 549) ; venasque ciens undansque medullas (*Ibid.* 652) ; regna domat sternitque potentes (*Ibid.* 738) ; spes hominum, rerum princeps (*Laud. Dei*, II, 31) ; mentibus insidit, penetrat caput (*Ibid.* 41) ; immemor auctoris, mortis dux (*Ibid.* 354) ; lethique vias et limina mortis (*Ibid.* 514) ; jubar ætheris, aeris auctor (*Ibid.* III, 2) ; inimicus amicis, omnibus adversus (*Ibid.* 35-36) ; contemnat opes, patrimonia damnet (*Ibid.* 90) ; Deus omnipotens, verus Deus (*Ibid.* 120) ;

pura fides, præsumptio simplex (*Ibid.* 248) ; civis pius, impius auctor (*Ibid.* 315); tormenta domant, consumit egestas (*Ibid.* 582).

3. **Alliterationes** :

Omnia quæ veniunt, bona, gaudia, tristia, acerba.
(*Laud. Dei*, I, 18.)

Tempora distribuit, loca contulit, ignibus egit,
Limitibus fixit, jubar induit, axe rotavit,
Cursibus aptavit, cæli regionibus addit.
(*Ibid.* 216-218.)

Cf. *Ibid.* 221, 367, 396, 408, 479, 552, 563, 648, 709, 736, 737, etc.

Inventor, genitor, nutritor, rector, amator.
(*Laud. Dei*, II, 2.)

Passibilis, mortalis homo, sine fine perennis.
(*Ibid.* 81.)

Cf. *Ibid.* 63, 71, 98, 100, 104-105, 119, 124, 132, 140, 299, 355, 504, 508, 527, 534, 559, 715, 754, 795, etc.

Vitæ animæque suæ, non diligit ille, sed odit.
(*Laud. Dei*, III, 80.)

Quam sit insipiens contemnere velle perenne.
(*Ibid.* 94.)

Plenum, grande malum, non uno crimine partum.
(*Ibid.* 567.)

Cf. *Ibid.* 102, 108, 113, 168, 294, 309, etc...

Item in Satisfactione :

Quidquid agunt homines, bona, tristia, prospera, prava (v. 15).
Aspera cuncta petat, prospera cuncta neget (v. 28).
Et bona mixta malis, et mala mixta bonis (v. 58).

Cf. *Ibid.* 82, 88, 124, 194, 210, 285, 312, etc.

**4. Oxymora :**

Oxymora vocantur ea quæ inter se contraria apparent, et a scriptore de industria in eodem loco colliguntur ; prope innumera sunt apud Dracontium, v. g. nocturnos dies (*Laud. Dei*, I, 646).

Funera viva gerens, vivax in morte cadaver
Ac sine morte tamen vitali in morte perempta.
(*Ibid.* 648-649.)

. . . . . . . (Tu, Deus) qui das exordia rebus,
Et finem sine fine paras, exordia nescis.
(*Ibid.* II, 29-30.)

Ignotumque diem mirantur nosse tenebræ.
(*Ibid.* 122.)

Cf. *Laud. Dei*, II, 53, 132, 526, etc. ; III, 39-40, 109, 167-170, 232, 295, 314-315, 398, 434, 543, etc.

Item in Satisfactione :

Nec reduces morsus dat feritate pia (v. 274).

Cf. *Ibid.* 7, 10, 60.

Non cum Dracontio periit hoc tumoris africani vitium ; immo ex Africa in Europam, tanquam lues, grassatum est, et medii ævi poemata contaminavit. Multa possent afferri exempla. (Cf. v. g. *Anticlaudianum* Alani de Insulis, v. 389, 393, 632, 705-706, 939-940, 1005, 1921, 2181, 2319-2322, 2542 sqq., etc.) Unum tantum expromam ut appareat ad quem amentiæ gradum processerint poetæ qui hujusmodi ineptiis curam dederint. In poemate quod inter Marbodi opera inseritur (1) et cui est titulus « de Lapsu et Reparatione hominis », hæc leguntur :

Serpens, uxor, homo, promittens, credula, pomo
Decepit, favit, præcepta Dei violavit.

(1) *Hildeberti et Marbodi opera*, edit. Beaugendre, Parisiis, 1705, in-fol. — Marbodi opera, p. 1630.

3. Fraus, mors, elatus, spes, civis, uterque reatus
Jus, vitam, Regem, stantes, cælestia, legem,
Sprevit et offendit, prostravit, præcipitavit,
6. Amisit, fugit ; hinc nos sibi culpa subegit.
Fraudes, invisum, vitam, mortem, paradisum,
Pressit, dejecit, dedit, exstinxit, patefecit,
9. Jure, potestate, moriens, victor, pietate,
Lege prophetatus, tandem de Virgine natus ;
Extremus, primus, Deus ac homo, summus et imus
12. Infans, vir, magnus, parvus, leo, vermis et agnus,
Rex, sol, mons, pax, flos, lex, dux, lux, spes, casa, fons, dos,
Regum, justitiæ, virtutum, vera, Mariæ,
15. Ordinis, Ecclesiæ, bonitatis, grata, sophiæ,
Vitæ, sanctorum, patriæ vis, porta polorum.
Cui mundi moles servit ; Patris unica proles,
18. Laus, jus, mel, fax, sors, mens, sal, ros, pars, mna, vir, arx (1), [mors,
Rerum, victorum, pietatis, clara, piorum,
Patris, doctorum (2), Gedeonis, angelicorum,
21. Belligeratorum, viduæ, cæli, reproborum ;
Huic, quoniam Deus est, nos plaudere, psallere jus est (3).

Quæ sic intellegenda puto :

v. 1-2 : Serpens promittens decepit ; uxor credula favit ; homo pomo præcepta Dei violavit.

v. 3-6 : Fraus jus sprevit ; mors vitam offendit ; elatus Regem prostravit ; spes stantes præcipitavit ; civis cælestia amisit ; uterque reatus legem fregit ; hinc nos sibi culpa subegit.

v. 7-10 : Lege prophetatus, tandem de Virgine natus fraudes pressit jure, invisum dejecit potestate, vitam dedit moriens, mortem exstinxit victor, paradisum patefecit pietate ;

(1) Arx scripsi, loco ars.
(2) Doctorum legi debet, non doctoris.
(3) Jus, non vis propter consonantiam cum medio versu.

v. 11-12 : Extremus infans, primus vir, Deus magnus et homo parvus, summus leo, et imus vermis et agnus,

v. 13-16 : Rex regum, sol justitiæ, mons virtutum, pax vera, flos Mariæ, lex Ordinis, dux Ecclesiæ, lux bonitatis, spes grata, casa sophiæ, fons vitæ, dos sanctorum, patriæ vis, porta polorum.

v. 17-22 : Cui mundi moles servit; patris unica proles, laus rerum, jus victorum, mel pietatis, fax clara, sors piorum, mens Patris, sal Doctorum, ros Gedeonis, pars Angelicorum, mna belligeratorum, vir viduæ, arx cæli, mors reproborum; huic, quoniam Deus est, nos plaudere, psallere jus est.

Ad hoc tumoris africani genus possunt tandem referri infinitæ enumerationes quæ apud nostrum Rabelais inveniuntur, atque etiam apud illum tam magni ingenii poetam V. Hugo, v. g.

O temps miraculeux ! ô gaîtés homériques !
O rires de l'Europe et des deux Amériques !
Croûtes qui larmoyez ! bons dieux mal accrochés,
Qui saignez dans vos coins ! Madones qui louchez !
Phénomènes vivants ! O choses inouïes !
Candeurs ! Enormités au jour épanouies !

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Noirs empereurs romains couchés dans les tombeaux,
Qui faisiez aux sénats discuter les turbots,
Toi, dernière Lagide, ô reine au cou de cygne,
Prêtre Alexandre six, qui rêves dans ta vigne,
Despotes d'Allemagne, éclos dans le Rœmer,
Nemrod qui hais le ciel, Xerxès qui bats la mer,
Caïphe qui tressas la couronne d'épine,
Claude après Messaline épousant Agrippine,
Caïus qu'on fit César, Commode qu'on fit Dieu,
Iturbide, Rosas, Mazarin, Richelieu,
Moines qui chassez Dante et brisez Galilée,
Saint-Office, Conseil des Dix, Chambre étoilée,
Parlements tout noircis de décrets et d'olims,
Vous sultans, les Mourads, les Achmets, les Sélims,

Rois qu'on montre aux enfants dans tous les syllabaires,
Papes, ducs, empereurs, princes, tas de Tibères !
Bourreaux toujours sanglants, toujours divinisés,
Tyrans ! enseignez-moi, si vous le connaissez,
Enseignez-moi le lieu, le point, la borne où cesse
La lâcheté publique et l'humaine bassesse !

(*Les Châtiments,* VI, 5, Eblouissements.)

Cf. etiam *Ibidem*, IV, 9; VI, 13, à Juvénal, VIII; VII, 13, Force des choses, etc.... Cf. *Les Feuilles d'Automne*, XXXVII, La prière pour tous, VII ; — *Les chants du Crépuscule*, IV, Noces et festins ; XX, etc...

# CONCLUSIO

Ex plurimis quæ in hac dissertatione allata sunt exemplis, apparet igitur latinum vulgarem sermonem, tempore quo vixerit Dracontius, quinto scilicet sæculo post Christum natum, in poeticam linguam sese penitus insinuasse. Constat enim multa nova vocabula, sive substantiva, sive adjectiva, sive verba, sive adverbia, a Dracontio usurpari; plurima, quæ ab aureæ latinitatis scriptoribus nunquam aut saltem raro adhibeantur, in honore esse; plurima etiam insolentem significationem accipere. Constat insuper adjectivorum comparativa et superlativa illegitima creari, numeros et genera, sed præsertim casus et tempora non jam firme stare; verba simplicia et composita inter se nulla sensus specie differre; præpositiones temere casuum vice fungi; conjunctionum modos et etiam significationem tam licenter perturbari ut nullum adesse discrimen inter indicativum et subjunctivum, inter infinitivum et supinum facile credatur. Ad hæc si addas verba abstracta sæpe pro concretis poni, participia et adjectiva substantivorum locum quam maxime tenere, et articulum jam apparere, latinam poeticam linguam in dies senescere, et, ut ita dicam, tam graviter extenuari ut a vulgaris sermonis corruptione sese immunem servare jam nequeat, et ideo ad Romanicas linguas magis magisque accedat, concludere licebit.

# APPENDIX

38 versus quos invenit et restituit Meyer, ex codice Centonum Berolinensium de Laudibus Dei (Cf. Meyer, *Die Berliner centones*).

Hi versus ponendi sunt in libro III post versum 605 :

Supplicia scelerum, peccans licet acrius uri
Debueram, qui sæva diu delicta peregi.
Addo quod et vita brevis et mors longa moratur.
Magnus es, Omnipotens, qui scis cui justa parasti.
Eripe me his, invicte, malis in corpore sanum.
Exitio succurre meo. Lassatus anhelo,
Tot fractus hinc inde malis ; ignoscere gaudes.
Eripuit tua sancta, Pater, clementia morti
Agmina peccantum. Veniam donare suetus
Adquisita reis veniam conversus adoro.
Ergo, Deus, miserere mei ! jam te rogo solum.
Qualiter ipse vides, me pænitet ante quod egi ;
Omne nefas placitum jam nunc suspiria damnant.
Flumina dant oculi ; gemitus præcordia rumpunt,
Et lacrimis maduere genæ. Jejunia reddo
Pallidus, et macie confectus pectora tundo,
Et genibus curvis palmas extendo supinas.
Cum manibus tibi vincla levo, stridente catena,
Carceris horrorem, suspendia, verbera passus
Obscenamque famem, quam major traxit egestas.
Me miserum, quando cecidi de culmine lapsus,
Ille ego qui quondam retinebam jura togati,

Exemi de morte reos, patrimonia nudis,
Divitias mea lingua dedit rapuitque tenenti,
Ac servile jugum vel libertatis honorem.
{Nam quod tua accusando diu defensor amavi
{Nam quod tu accusas dudum defensor amavi
Impunitates vendens pœnasque nocentum
Insontumque simul pretio delicta coegi
Ad caput hæc hinc inde meum, quibus opprimor olim.
Da mihi jam veniam ; finem concede malorum ;
Vincula solve mea ; stridentes frange catenas ;
Pelle famem ; exclude sitim ; compesce dolores.
Omne quod admisi facinus, crimenque relaxa.
Jam miserere mei ; custodia longa fatigat
Inter anhelantes gemitus cladesque diurnas.
Jam pius indulge, Deus, et me ad gaudia transfer ;
Erige prostratum, vindex ; attolle jacentem,
Et repara afflictum tali sub clade malorum.
Quæ per me cecidit, per te spes nostra resurgat.

Deinde sequitur v. 606 : Munera percipiam....

# INDEX ALPHABETICUS VOCABULORUM

G



H



I



J

S



T



U

VIDI AC PERLEGI.

Pictavii,

Nonis Decembr. ann. MDCCCCI.

*Facultatis litterarum in Universitate Pictaviensi Decanus,*

J. A. HILD.

TYPIS MANDETUR.

*Pictaviensis Academiæ Rector,*

H. CONS.

Pictavii. — E typis Soc. Gall. Lib.